





DISSERTATIO JURIDICA
DE

SOLENNITATI-
BUS IN GENERE,
EARUM NATURA, JURE, USU
ET ABUSU;

QVAM,

ANNUENTE

AMPLISSIMO ICTORUM ORDINE,

IN ILLUSTRIS UNIVERSITATE CHRISTIAN-ALBERTINA

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTUNT

P R Æ S E S

FRANC. ERNEST. VOGT,
SCHAUMBURGO - WESTPHALUS,

ET

R E S P O N D E N S

CHRISTIANUS AUGUSTUS
DE BERCKENTHIN,

EQUES MEGAPOLITANUS,

AD DIEM JUNII, AN M DCC XII.

IN AUDITORIO ICTORUM,
HORA IX. ET SEQUENTIBUS MATUTINIS.

K I L O N I I,
LITERIS BARTHOLDI REUTHERI,
ACAD. TYPOGR.

2323 12.
250 21
1712

Fr. Ernst V. Vogt
Solemnit. natur.



DISSERTATIO IURIDICA

DE SOLLEMPNITATE

IN USU
NATURALI IURE
ET ABUSU

ANNO 1782

AVGVSTINO VICTORIO ORDINE

AVGVSTINO VICTORIO ORDINE

P. A. 2 8 2

FRANC. ERNEST. VOGT

SCHEFFELERUS

AVGVSTINO VICTORIO ORDINE

AVGVSTINO VICTORIO ORDINE

DE BRONCKE VITIN

AVGVSTINO VICTORIO ORDINE

AVGVSTINO VICTORIO ORDINE

AVGVSTINO VICTORIO ORDINE

AVGVSTINO VICTORIO ORDINE

AVGVSTINO VICTORIO ORDINE

AVGVSTINO VICTORIO ORDINE

AVGVSTINO VICTORIO ORDINE



REVERENDISSIMO AC SERENISSIMO PRINCIPI
ET DOMINO,

DOMINO

CHRISTIANO
AUGUSTO,

HÆREDI NORWEGIÆ,

EPISCOPO LVBECENSI, DVCI

SLESVICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ AC DITH-

MARSIÆ, HORUMQVE DUCATUUM AD-

MINISTRATORI, COMITI IN OLDEN-

BURG ET DELMENHORST,


PRINCIPI AC DOMINO SUO CLE-
MENTISSIMO

Felicitatem perpetuam!

X 2

RE-

REVERENDISSIMÆ & SERENISSIMÆ
PRINCEPS & ADMINISTRATOR,
DOMINE CLEMENTISSIME!

 REVERENDISSIMÆ TUÆ
SERENITATI hæc pri-
mitias humillimè offero,
quas

quas sub TANTI PRINCIPIS auspicio
in lucem simul prodire clementissi-
mè annues. Cum enim inter alias,
quibus DIVINA GRATIA, in Cimbriæ
solatium, TE admovit curas, illam,
more MAJORUM, non habeas postre-
mam, quæ in promovendis bona-
rum literarum ac veræ prudentiæ
studiis occupata est; præsertim au-
tem Kiloniensium Musæ, quas DIVI
CHRISTIANI, IMMORTALIS PAREN-
TIS, pietas gloriose plantavit, & FE-
LICISSIMI FRIDERICI heroica cle-
mentia uberrime rigavit, sub TUA
AUGUSTI, PRINCIPIS JUSTI & LIBE-

X 3

RALIS



RALIS simul STUDIORUM ÆSTIMATO-
RIS, tutelâ ex condigno foveantur,
ac nova indies sentiant incrementa:
necessario fit, ut quotquot in hoc
TUO Helicone vel docendi vel di-
scendi causa vivunt, TE, SOLEM su-
um, cuius munificentia ac benigni-
tate irradiantur, heliotropiorum in-
star continuo spectent, & quorum
ibi collegerunt fructuum partem ad
TUÆ CLEMENTIÆ aram, sacrificiî
loco, grata & devota mente immo-
lent.

Accipe igitur SERENISSIMA
FRONTE exigua hæcce *Solemnia*; sic e-
nim

nim stylo Veterum appellare liceat
præstationes IMPERANTIBUS debitas ;
nec litamen rejice ejus, qui majesta-
tem REVERENDISSIMÆ TUÆ
SERENITATIS cultu perpetuo
demisse veneratur. Neque tamen
vilitatem muneris æstimabis , sed
ardentissimum votum, ut FELICITAS
AC GLORIA TUA ad feros usque
annos eat, vigeat, crescat in im-
mensum, nec AUGUSTISSI-
MÆ DOMUS SPLENDOR prius
deficiat, donec

- mul-

multos per annos
sustentata ruet moles & machina
Mundi!

REVERENDISSIME ac SERENISSIME PRINCEPS
ET ADMINISTRATOR


DOMINE CLEMENTISSIME,

REVERENDISSIMÆ SERENITATIS TUÆ

Kilonii d. IX. Junii
An. MDCC XII.

subiectissimus Servus

Francisc. Ernest. Vogt.



CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

Juri & Jurisprudencia injustitia insimulantur, §. 1. Quid in ista generali censura reprehendendum sit, §. 2. Que causa, quod omnium odia converantur in Advocatos & Judices, numque Theologi ac Medici ab omni vitio sine immunes? §. 3. Dammum, quod pravi ac inepti Juri Reipubl. inferunt, esse gravissimum; & que sit malitia ac inficitia eorundem causa, §. 4. Medelam hujus mali haud exiguam esse, accuratam juris capitum expositionem: Hancque nondum esse perfecte absolutam, patere ex neglecta doctrina de solennibus §. 5. Quinam de Solennitatibus scripserint, & quid in specie de dissertatione quadam Jenensi, hujus argumenti, sentiendum sit? §. 6. Desiniuntur solennitates §. 7. Diviso earundem ostenditur, §. 8. Hyporbeses quinque ad cognitionem earum indolis necessarie §. 9. Quomodo differant solennia & Fatalia, §. 10. Forma actus & solennitas an semper sint idem, §. 11. Ordinem & solennia esse ab invicem diversa, §. 12. Que inter signa & solennitates sit differentia, §. 13. Ceremonias politicas esse solennitates, sed non juris privati, & quid circa eas justum sit: qua occasione quadam solennia juris gentium simul explicantur, §. 14. Ceremonias Religiosas esse solennitates, non quidem hodie ex instituta divino sed humano, & quousque potestas Principis & Ecclesie se circa eas extendat, §. 15. Quomodo differant stylus Curie, Consuetudo & Solennitas, & num detur stylus Curie, qui juris speciem singularem constituat, §. 16. Solennitates prescribere Imperantes; Universales in Germania Cesaream, cum consensu Statuum; majoris partis consensum ceteros hic non obligare; & illas, que in Comitibus sunt (an ita, a Statibus in territoriis libere mutari; multo minus Status ad observantiam solennium juris civilis obligari, §. 17. Singulos Status Germania leges

de solemnibus in suis territoriis condere; exclusi igitur ab hoc jure Do-
 ctiores, Universitates & Collegia, item judicia, quorum Præjudicata
 per se non habeant auctoritatem legalem: Respondetur quoque objectioni,
 quod consuetudo faciat legem, §. 18. Objectum solemnitarum esse ne-
 gotia civilia, non tamen omnia, sed ubi publico id utile videtur, §. 19.
 Formale solemnitarum in quo consistat? earum usum non sanare in-
 trinseca negotii gesti vitia; operari tamen quandam presumptionem.
 §. 20. Quid Principi observandum sit circa electionem & institutio-
 nem rituum, quibus solennia peragi debent, §. 21. Num Romano-
 rum solennitates prudenter & ad veram Reipubl. utilitatem fuerint
 introductæ? Quod negatur, & ex scopo earum, ut & ex qualitate rituum
 ipsorum demonstratur, §. 22. Quid de moralitate solemnitarum
 juris Germanici statuendum sit? ubi quatuor periodi juris Germanici
 constituuntur, & quid in singulis obtineat, ostenditur; denique pro-
 miscua admisso solemnitarum juris extranei taxatur, §. 23. Qua-
 sio, de utilitate solemnitarum, politice examinatur, & quod qua-
 dam sine necessaria, quedam vero utiles, asseritur; simul regula for-
 matur, juxta quam solennitates rationales, frustraneæ & injusta ab
 invicem secerni possunt. Exemplum de Curatore mulieris saxonico, §.
 24. Quale subditis competat judicium de justitia & utilitate solenni-
 tarum, lege præscriptarum, scil. morale theoreticum, non practicum.
 Incidenter, de asserto Pragmaticorum, quod juris Professores causis
 tractandis minus apti sint, §. 25. De effectu solemnitarum, quod ear-
 um usus actum confirmet, omisso irritum faciat. Ubi simul, quid ju-
 re Romano intersit, actum dici nullum vel eum esse rescindendum, ostendit-
 ur, §. 26. An Princeps actus, minus solemniter gestos, in præjudi-
 cium tertii confirmare possit? Neg. §. 27. An Princeps, cum Pri-
 vato contrahens, teneatur servare solennitates juris privati? Neg.
 An Princeps ex testamento subditi minus perfectio aliquid capere possit?
 Affirmatur contra Dn. Titium. Incidenter vero contra Dn. Thomastium
 justitia & moralitas testamentorum demonstratur, §. 28. Quid ob-
 tineat, si circa solennia duorum territoriorum leges collidantur, quin-
 que Regula explicatur, §. 29. An quis actui, propter non adhibita
 solennia juris positivi, nullo, salva conscientia possit contravenire? Affir-
 matur, §. 30. Conclusio, §. 31.

I. N. J.

§. 1.



Ale audiunt apud plerosque Jcti, Judices, Advocati, & quicumq; ambigua litium fata dirimunt, quod artem profiteantur imposturis aptissimam, & vel Actorem vel Reum, sub justitiæ prætextu, quoties ipsis libuerit, condemnare aut absolvere possint, nec ipsis unquam, creditur, deesse rationem, cujus ope etiam injustissimas causas & iniquissima decreta defendere, ac pro legitimis vendicare queant (a)

(a) Forte huc spectat illud, quod est in veteri Neapolitana inscriptione, quam alicubi legisse memini: *Dolus malus abesto & Jure-Consultus*. Plura invenies apud Gabriel Alvarez de Velasco *de jndice perfecto*, Venturam de Valentis in *Parthen*, Litigioso, Caspar. Ziegler. in *Dicastice & in Rabulistica*, Stephan. Nathen. *Spornmacher de Justit. vulmerat*. Speidel. *Observ.* sub voce *Juristen und Doctores*, Martin. Azpilcueta *de peccat. Judic. Bouvve, de jur. & Justit. usu & abusu*. Gottfried Warless / *de abbrev. lit.* Joh. Bicardum *vom Justitien Werck* / Diodor. Tuldenum, *de causis corrupt. Jud.* Georg. Paul. Hönn, *von Verführung der Rechts-Processe*, Hoffmannum, in *Lycurgo Germanorum moribus informato*, Barclajum in *Argenide lib. 3.* Wehnerum in *Observat. practic.* sub voc. *Justitz-Wesen* / Sigmundum Freibergerum, in *Consilio, de novo Codice conscribendo*. Bocalini Traum über die heutige *Justitz-affairen*. Imprimis placuit, quæ Dn. Hönn *all. libro pag. 13.* ex Scrivero narrat, quandam Nobilem ipsi olim dixisse, se quatuor malis afflictum esse, 1. mala muliere. 2. multis prædiis & nulla parata pecunia, ut proinde propter aucta tributa tempore sterilitatis

A 2

sterilitatis

rilis parum sibi superfit. 3. Corporis infirmitate & 4. Processu cum quodam cognatorum; sed in hoc ultimo malo Advocatos tantum sibi negotii facessere, ut trium præcedentium facile oblivisceretur.

§. 2.

Istiusmodi Censores in eo videntur peccare, quod 1) vitia hominum improbissimorum imputent arti divinæ, quæ nihil magis detestatur, quam dolos & juris perversiones. 2) quod, quæ ex ignorantia Judicum & Advocatorum nonnullorum geruntur, ex regulis juris prudentiæ fieri, arbitrentur. 3) quod, solos Legum interpretes officia sua minus rite subire, credant, cum tamen nec Theologis, nec Medicis, nec Aulicis, nec militibus, nec opificibus, imo nec rusticis sua semper singulis constet integritas, sed paucissimi in qualibet hominum conditione reperiantur, qui officium boni viri ubique expleant.

§. 3.

Judicum autem & *Causidicorum* errores ac deceptiones propterea tam frequenter atro notantur lapillo, quod ex illis diminutiones & subversiones patrimoniorum suorum sentiant privati, jam vero nulla re magis exacerbatur maxima pars hominum, quam si bona sua indignis modis dirimi, ac hiantibus corvis in prædam cedere, suis adspiciunt oculis. *Theologorum* e contrario injusta facta vel non animadvertuntur, vel a prudentioribus dissimulantur. Paucos enim reperias, qui rerum æternarum debitam habeant curam; vulgus etiam superstitione regitur, nec abditos illorum sensus explorare cupit, sed eorum mentes Numine semper agi credit; Prudentiores autem sibi sapere

pere & tacere, quàm crabrones irritare malunt. *Medicorum* facinora terra tegit, solisque Medicis impune occidere, ac in hominum corpora & loculos sævire licet, cum omne, quod illi delirant, vel morborum vehementiæ vel fato imputetur, nec, propter discrepantes in arte medica opiniones, aliquid certi hic definiri semper possit. Totus itaque mundus insurgit saltem contra eos, qui jura profitentur, hosque impostores, hircines forenses, Rerum publicarum pestes & omnium civilium malorum autores communi fere judicio damnat.

§. 4

Nec etiam negari potest, quoniam illi, qui jura callent vel callere debent, ad gubernandam in singulis partibus Rempubicam, à Principibus adhiberi solent, infelicissimam esse Regionem, cujus administratio non viris, honestatem, justitiam ac pietatem amanti- bus, sed vulpibus, lupis asinisve, hominis speciem mentibus, committitur. Qualis enim arbor, tales ex ea colliges fructus, & frustra a veprete expectabis uvas, vel a carduis triticum. Sed *quenam*, inquis, *hujus rei causa, quod Icti tam opere sæpius a recto aberrant?* Cum tamen jurisprudentia sit ars nobilissima, certis principiis innixa, & quæ nunquam fallat, modo voluntatem Superioris ad facta proposita rite applicemus? Libere dicam, quod sentio. Existimo, hæc esse hujus rei causas, 1) Quod pauci pravos compescere velint affectus, sed iis sese in diversa abripi patiantur; mens igitur semel commota non ad illud nos impellit, quod facere debebamus, sed quod am-

A 3

bitio-

bitioni, avaritiæ ac libidini nostræ, sub specie boni alicujus apparentis, suaviter blanditur. (b) 2) Quod multi Themidis studio se mancipient, quibus ob naturalem stuporem consultius foret, ut agasonum vel opificum quam Ictorum ordini adscriberentur. 3) Quod studia philosophiæ tam Rationalis quam Moralis, (genuinæ illius, non Aristotelicæ, Scholasticæ vel Hobbesianæ) a plurimis negligantur, dum recto pede statim ad oceanum juris Romani contendunt, antequam vel leviter Juris Naturalis fontibus imbuti sint: Unde provenit, ut tenebræ ipsis volitent ante oculos, & a fluctibus dissidentium opinionum, vel Caufidicorum cavillationibus, tanquam inextricabilibus syrtibus, corripiantur & non raro submergantur. Sequitur hocce vitium aliud, nempe 4) Principiorum, & Historiæ Juris civilis neglectus, siquidem multi se statim JCos fore autumant, modo compendium aliquod juris, ut plurimum methodo legulistica, i. e. absurda, fluctuante & confusa, conscriptum, per transennam quasi adspexerint, vel festinantis alicujus Doctoris prælectiones, hiulcas & steriles, fideliter calamo exceperint. Sicuti vero exinde infinita profluunt mala, ita nec minimam corruptæ jurisprudentiæ causam in eo sitam esse arbitror, 5) quod limites juris divini ac positivi humani neque arcte satis vulgo custodiantur, nec cupidæ LL. juventuti fideliter ostendantur. Unde fit, ut in casibus propositis vel ex jure naturali, vel civili inepte decisio quærat; quod innumeris exemplis demonstrari posset, si instituti ratio id nunc ferret.

b) Narr.

(b) *Numne igitur quandoque in decisionibus causarum dabitur casus pro amico? Neg.* Licet enim jus partium, propter diversitatem & collisionem circumstantiarum, possit esse dubium, attamen jus ipsum nunquam in ullo aliquo casu incertum est, sed iudex semper legem habet, quam in decidendo sequatur. Finge etiam, ex utraque parte adesse bonitatis causæ æqualem præsumtionem, nonne unus læderetur, si pro altero iudex pronunciaret? Indeque non tam male dixerunt Sig. Scaccia *de sentent. & re Judic. glosf. 14 qu. 13. n. 10* & Anthon. *Thefaurus decis. 89. n. 4, dec. 206. n. 13. Casum pro amico in iudicio esse casum pro Diabolo* Similiter ex his judicari potest, quid sentiendum sit de arbitrio iudicis, quod integro volumine, sed secundum ævi morem satis confuse & minus solide, exponit *Jacobus Menochius, Trctus Patavinus*. Nimirum si per illud intelligas facultatem iudicis, in causis, jure positivo non decisis, prouti lubet, vel affirmative vel negative pronunciandi, cyclopica illa licentia nihil absurdius excogitari potest. Si vero hoc denotet, ut, deficiente jure scripto, iudex id sequatur, quod juri naturali conveniens est, tolerari quidem id potest, sed quoniam in principiis juris naturalis rite ponendis, indeque conclusionibus, ut singulis factis congruit, deducendis, non una omnium ingeniorum deprehenditur felicitas, satius est, ut hoc casu a Principe ipso, ejusve Consilio secretiori, vel a quodam collegio Doctorum Virorum, ad hoc specialiter instituto, decisio petatur.

§. 5.

Sicut vero non parum quoque ad reprimendam malitiam confert, si omnia juris capita ex genuinis fontibus clare, distincte & ordine naturali proponantur, eo quod incertitia & confusio progenerare frequenter soleat injustitiam; ita fatendum quidem est, novissimis temporibus viros quosdam doctissimos strenue

nue hanc spartam in se suscepisse, & jurisprudentiam ita excoluisse, ut felicitatem præteritorum seculorum cum præsentī hac in parte nullo modo comparare possis: Non tamen propterea statim putandum est, ac si jam omnia sint absoluta, nec aliquid dici possit, quod typis nondum sit evulgatum. Falluntur certe, qui tam suavia admittunt, somnia. Immenso mari non absimilis est juris scientia, cujus littora quidem satis nota esse possunt, sed ope philosophiæ moralis, quæ instar pixidis nauticæ nobis est, & ope historiarum, vela quasi infantium, quotidie magis in altum provehimur, & ibidem, vel, quod in usum artis colligamus, vel, quod domi corrigamus, vel denique, qui scopuli imposterum evitandi sint, semper deprehendimus. Exemplo sit nobilissima, & quæ per totum jus se distendit, *solemnitatum* materia, quam neglectam diu fuisse, peritiores fatebuntur. Ut igitur & nostram, ad concinnandam juris artem, conferamus symbolam, ejus enucleationem, pro libertate Academica, in nos suscepimus, scopum præsentī disquisitioni hunc præfigentes, ut, quantum introductæ a LL. civilibus, & a Doctoribus excogitatæ solemnitates vel negotia civilia promoveant, vel eadem inutilibus difficultatibus involvant, liquido monstremus. Quod ipsum præstitisse nobis videmur, si in naturam & qualitatem earundem accurate inquisiverimus, sic enim multis dubiis liberabitur jurisprudentia, cognituque erit certior ac facilior: imo asserere non veremur, cognitionem hanc instar fili ariadnæi futuram esse, cujus ope, num negotium aliquod legitime gestum, adeoque vel

vel validum; vel nullum aut rescindendum sit, sæpissime dijudicari possit.

§. 6. 4

Præter Scipionem Gentilem, qui de solennitatibus, quatenus in quoque actu intervenire debeant, vel intervenisse præsumantur, scripsit, nullum novimus, qui ex professo hanc utilissimam materiam in genere & plene exsequutus sit, quamvis nec hunc scriptorem hactenus inspicere nobis licuerit, & si forte alii autores, idem argumentum tractantes, reperirentur, (c) omis- sam eorum allegationem nobis fraudi non futuram arbitramur, utpote quibus, non historiam literariam sed proprias meditationes in publicum proferre, animus est: prætereaque persuasi sumus, qui illo studio nimi- um immorantur ac delectantur, rarissime ad ipsam re- rum cognitionem pervenire, sed similes esse ut pluri- mum agyrtis ac empiricis, qui multas herbas & res medicas nominare quidem feliciter possunt, vim au- tem ac effectum earum turpiter ignorant. Illud ta- men silentio præterire nequimus, incidisse in manus nostras nuper *Dissertationem inauguralem de Solenni- tatibus Ienæ sub præsidio Magnifici Dn. Joh. Bernh. Frie- sen an. 1703.* habitam, sed ejusdem perlustratione, non sine nausea, instituta, statim deprehendimus, stipulas saltem à Dno. *Candidato* fuisse collectas, immixtis mul- tis quisquiliis, quæ quidem ad vulgi jurisperito- rum palatum esse possunt, politioribus autem ani- mis famem extinguere nequeunt.

(c) Quæritur saltem, an doctrina generalis de solennitatibus a quoquam hactenus rite sit exposita? quod negamus; nam quid in singulis negotiis olim & nunc obtinuerit,

B

ex

ex legibus ipsis earumque interpretibus conspici potest. Quamvis nec hic desit, quod ultimam exigat limam.

(d) Ut iis, quæ a nobis dicta sunt, fides habeatur, ex *disfert. alleg. specimenis loco quædam excerpta huc inferemus: sic §. 4. n. 1. ad solennitates refertur, respectus personarum quarundam in iudicio, & quod pro earum conditione qualitas & quantitas alimentorum assignetur, ibidem n. 2. quod verba rebus significandis adhibeantur (hocque multis tautologiis ac allegationibus confirmatur, quasi aliquis sit, qui de ista efficacia verborum dubitet) ibidem n. 3. narratur historiola, Thaletem interrogatum, quid esset antiquissimum? resp. Deum, quid pulcherrimum? mundum. Quid velocissimum? mentem. Quid sapientissimum? tempus. Mysticos etiam tradidisse, Saturnum filios suos devorare solitum, & quæ similia sub loco Tempus in Florilegio Langii traduntur. ibidem n. 5. modum honestum in omnibus rebus observandum, nullam immoderatam affectionem suscipiendam esse. An pactis detur hereditas? Neg. quia certi sint modi, quibus hereditas detur, lex & testamentum. §. 5. Distinguitur inter solennitates, quod alia sit intrinseca, substantialis & formalis, quæ de jure & legis dispositione in factis & actis ita inest, ut ab illo separari nequeat, & ex nulla verborum, distorum vel scriptorum, item ex viribus, ex statu, ex habitudine, ex conditione & natura tanquam Juris quid colligitur, NB. unde posito facto, ponitur solennitas intrinseca, hæc mihi æque clara sunt, quam quæ apud Realem de Vienna in der Prüfung des Versuchs vom Wesen des Geists cap. 5. §. 51 pag. 51 leguntur, der nettmessichte Geist Uliz Puliz im Krebs geböhren/ im Steinbock begraben etc. usque, insuper hæc ista fuit bonus orgaque dista, wie wir gar schön an dem Exempel des Eises sehen) alia vero solennitas sit extrinseca seu accidentalis &c. Eodem §. dividitur solennitas in gravem & levem (cur nec etiam in latam, levem & levissimam?) §. 6. dicitur, per solennitates declarari summi Numinis gloriam, quia faciant, ne quem fugere possint ea, quæ scire o-*

mnes

omnes debent, & hoc Autor illustrat per pulsam campanarum, & explosionem tormentorum, &c. Sed quia ad justas epulas Lectorem invitavimus, fimum & sordes amovere, quam diutiori aspectu nauseam ei excitare cupimus.

§. 7.

Tentabimus igitur nosmet ipsi, quid valeant humeri quid ferre recusent, & omiſſa nominis enodatione grammatica, unde dicatur solennitas, & an rectius scribatur solemnitas, num vero solennis, utpote quas minutias animalculis Scholasticis diu nocteque volvendas relinquimus, statim ad ipsam rei definitionem properamus, & quidem dicuntur nobis *Solennitates ejusmodi ritus, qui a legibus positivis præscripti & a Doctoribus inventi sunt, ut, iis adhibitis, de veritate negotii constet, vel actui gesto valor & auctoritas concilietur.* (e)

(e) Hæc definitio accuratior erit, quam illa, quæ in præfata differt. Jeneſi habetur, ubi ita legitur §. 3. *Solennitas est actus quidam certarum personarum, verborum, temporis, loci & modi, lege jubente observandus ad finem Reipublicæ.* Tolle enim vocabulum *solennitas*, inque ejus locum reſponde vocem *Festivitas*, & invenies, omnia definitionis verba ad hanc egregie quadrare.

§. 8.

Posſunt autem solennitates varie distingui (1) a *causa efficiente*, in *legales* seu jure præscriptas & *arbitrarias*, quas privati excogitarunt, quibusque robor inesse credunt. Solennitates legales vero a *diversa promulgandiratione* subdividi possunt in eas, quæ sunt *juris scripti*, & quæ sunt *juris consuetudinarii*, scil. usu

subditorum introductæ, & tacita Principis approbatione confirmatæ(2) à *subjecto* in *universales*, quas omnes subditi observare tenentur *v. g.* in testamentis condendis, appellationum interpositione, in contrahendis matrimoniis, in donationum ultra 500. solidos insinuazione &c. & *Particulares*, quæ certæ saltem subditorum classi præscriptæ sunt *v. g.* ut mulieres fidejudentes illud faciant cum renunciatione beneficiorum jurata; ut liberi, parentes in jus vocantes, prius veniam impetrent; ut fœminæ non nisi cum curatore in judicio agant &c. (3) ab *objecto*, in solennitates *Contractuum* *v. g.* ut immobilium venditio & hypothecæ constitutio judicialiter fiat, ut stipulationes conceptis verbis contrahantur, &c. *Dominii ac possessionis constitutivas*, *v. g.* investitura feudalis, resignatio judicialis die *Gerichtl. Auflassung* / ritus circa possessionis apprehensionem adhiberi soliti, traditiones symbolicæ &c. in solennitates *testamentarias*, & denique illas, quæ *circa Processum*, eumque tam criminalem quam civilem, occurrunt. Similiter (4) ab *Adjuncto* dividi possunt in Solennitates *Ecclesiasticas*, huc refer solemnia nuptiarum, sepulturæ, ordinationis & introductionis ministrorum verbî divini &c. & *seculares*, sub quibus etiam comprehenduntur solennitates feudales; hæ iterum in *Privatas*, quæ res privatorum concernunt, & *Publicas* quæ ad statum Reipublicæ pertinent, quo nomine veniunt ceremoniæ electionum, coronationum, receptionis Legatorum &c. sed hæ sunt extra considerationem juris privati. Huc porro spectat divisio solennitarum in *Religiosas*, quæ cultum divinum directo respiciunt *v. g.*
leges

leges rituales veteris Testamenti, & Politicas; quæ ad homines, in societate civili spectatos, pertinent, hucque nomine potissimum indigitamus *Ceremoniale aulicum* (5) a *norma*, juxta quam de moralitate solennitatum judicari debet, in *justas & injustas* & (6) ab *effectu* in *Necessarias*, quibus non servatis actus gestus vel nullitate laborat, vel rescindi potest; *utiles*, quæ vel melioris probationis, vel evitandæ contradictionis gratia adhibentur v. g. Si super contractu coram Notario & testibus instrumentum conficiatur, & confirmatio Principis imperretur; si res minoris, etiamsi accesserit causæ cognitio & decretum judicis, sub hasta vendantur &c. & *Ociosas*, quas nemo sanæ mentis, quicquam ad validitatem negotii conferre, arbitratur. v. g. an instrumenta dotalia confici debeant super nuptiis; an sententia iudice stante vel sedente prælegi debeat; &c. (7) a *sine* in *Obligantes*, quæ in negotiis, quibus sunt præscriptæ, semper & ubique, sub pœna legi inserta, debent observari, & *indifferentes*, quibus an quis uti velit nec ne, ipsius relinquatur arbitrio v. g. an iudices contra criminis reos inquisitorie, an vero solenniter, per modum accusationis, procedere velint; an virgo sparsis capillis, an vero, iisdem obvolutis ac bene compositis, ad Copulationis sacerdotalis solennia procedere velit, an quis sponsæ, tempore desponsationis, in signum fidei conjugalis annulum dare, & ministrum Ecclesiæ accersere velit nec ne &c. (8) à *duratione* in *perpetuas*, quæ semper obtinent in simili negotio, & *temporales*, quæ ad tempus durant v. g. ut tempore contagionis omnes transeuntes literas commeatus seorsum ferant; ut tempore festivitatis publicæ quilibet

noctu, accensis candelis, plateas illuminet &c. (9) a modo, in *uniformes* & *multiformes*, v.g. an quis vel coram septem testibus ultimam voluntatem conficiat, vel judicialiter, in præsentia Judicis & Assessorum. (10) a *Principio* in eas, quæ sunt *iuris Gentium*, i.e. quæ a pluribus populis in simili negotio obtervantur; & quæ sunt *iuris civilis*, certæ scil. alicujus Reipublicæ. Et hæc intuitu nostræ Jurisprudentiæ dispesci iterum debent in solennitates *iuris Romani antiqui*, quarum cognitio explicandis legibus saltem infervit; *iuris Germanici antiqui*, quæ instituta veterum declarant, & interdum ad enodationem consuetudinum præsentium aliquid conferunt; *iuris Canonici*, quarum nonnullæ potissimum in materia processus sunt retentæ; *iuris feudalis Longobardici*; & denique *iuris Germanici moderni*, prouti hoc jus partim propriis ac domesticis institutis nititur, partim extraneas leges in subsidium, & quatenus ratione nituntur, nec ab indole nostrarum Civitatum alienæ sunt, admisit.

§. 9.

Restant quidem fortasse plures adhuc divisiones, sed, quia allatæ sufficere nobis videbantur, ulteriori opera, in hac materia paululum difficiliori, maluimus supersedere, quam inventionem distinctionum ingenium torquere, multo minus, e putidis Scholasticorum lacunis eas depromere, consultum videbatur. Illud autem, antequam ad amœniora progrediamur, prius doctrinæ gratia inquirendum erit, an inter solennia, fatalia, formam actus, ordinem negotii, signa quibus ani-

animus vel voluntas exprimitur, ceremonias, stylum curiæ & consuetudinem sit aliqua differentia, & qualis illa sit? Et ut eo certius responſionem formemus, secundum definitionem §. 7. datam ſupponimus, (1) *omnes ſolemnitates ex inſtitutis humanis originem trahere, nec ullas jure naturali præceptivo eſſe introductas: Jus Naturæ enim conſiderat & dirigit officia hominis externa, quatenus in ſtatu libertatis vivunt, & aliquid acquirunt, cum aliis contrahunt, de ſuis rebus diſponunt, aliorum jura lædunt, vel inviolabilitatem corporis ac juris ſui prætendunt; in omnibus vero hiſce rebus ſola ratio nihil aliud exigere videtur, quam ut ſimpliciter de voluntate agentis clare conſtet, nec unus alteri præſcribere poteſt normam, juxta quam præciſe actiones ſuas inſtituat, ſed ſufficiunt hic indica ac ſigna communiffima, intentionem alterius, juxta naturales interpretandi regulas, exprimentia.* (2) *ſupponimus, poſſe eum, qui in ſtatu naturali vivit, ſibi certam agendi normam & modum præſigere, ita tamen, ut, niſi tertio exinde jus aliquod ſit quæſitum, libere ab eo iterum recedat.* (3) *Solius ſuperioris eſſe, quænam ſolemnia, circa hoc illudve negotium rite peragendum, ſervanda ſunt, in Civitate definire, cujus ſanctio omnes quidem ſubditos, nullatenus autem ipſum ſtringat Principem.* (4) *Solemnitatum ſubditis præſcriptarum naturam in hoc ipſo conſiſtere, ut præter ea, quæ jure divino & ſecundum ſolius rationis ductum ad certitudinem & validitatem alicujus actus neceſſario requiruntur, in ſuper adhibeantur alii ritus, vel alia circumſtantia ac ſingulares modi, quibus ſola lex poſitiva ſpecificalem*

cialem effectum & operandi vim tribuit. Proindeque
 (§) *Solemnitates partem quidem juris civilis constituere,*
non tamen omnia, quæ ratione originis & auctoritatis
simul ex mero jure civili descendunt, ad solemnitates re-
ferri debent; hoc enim tum demum procedit, si illud
legis positivæ institutum actiones civiles certis ritibus
involvat, & non, nisi his adhibitis, pro legitimis eas de-
claret.

§. 10.

His præmissis, facile apparet, *differre utique in-*
ter se solennia & fatalia, nam licet interdum fatalibus
 accedant solennia, v. g. quod Appellatio non solum
 inter 10. dies interponenda, sed etiam intra 30 dies Ap-
 postoli peti debeant; item, quod in processu desertio-
 nis usu receptum, ut citatio peremptoria in tribus di-
 versis territoriis e suggestu publicetur, ibique per ali-
 quot dies in loco solito affigatur, & quæ sunt similia:
 attamen Fatalia per se nihil aliud sunt, quam certi tem-
 poris spatia, a lege vel iudice præfixa, ut intra illa jus
 nostrum profequi liceat, sub certa quadam pœna, si
 tempus illud fuerit neglectum. Ut autem ejusmodi
 fatalia lege constituentur, in Republica omnino ne-
 cesse est, quia alias litium nullus foret finis: Solenni-
 tates autem ordinariæ magis accedunt ad classem ea-
 rum rerum, quæ civiliter etiam indifferentes sunt, &
 vel introduci vel omitti possunt, prouti Principi com-
 modum videbitur. Præterea temporis lapsus non tam
 requirit aliquod factum positivum ex parte hominis,
 quia & nobis inadvertentibus illud præterlabitur; cum
 e contrario solennitates non possint intervenire, nisi ac-
 cedente aliquo facto humano.

§. 11.

§. II.

Similiter *Forma actus & solemnitas* ita differunt, quod *Forma* dicatur illa qualitas negotii, quæ facit, ut in specie hoc censeatur gestum esse, & non aliud quippiam; sicuti v. g. ad formam contractus emtionis-venditionis pertinet, partes convenisse de transferendo certæ rei dominio pro certa mercede. Et sic forma a negotiis civilibus per rerum naturam est inseparabilis. At solennitates sunt saltem qualitates adjectivæ, a legibus positivis superadditæ, quæ quidem, juxta hypothesin legis latæ, *formam negotii ingrediuntur*, & stricte servari debent, *potuissent tamen juxta simplicitatem juris naturalis abesse*, & sic hujus intuitu se habent instar accidentis seu modi.

§. 12.

Porro *inter ordinem rerum & Solemnitatem* illud interest, quod ordo in genere nihil aliud sit, quam series actuum, quorum unus naturali consecutione, seu juxta communissima ratiocinandi principia, præcedere & alter subsequi debet, nisi perturbationem committere vel in confusionem prolabi velimus. *Ordinem* igitur *ipsa ratio servari præcipit*, solennitates lex positiva invexit, qua deficiente, nec quicquam illas curamus, sed nostro arbitrio agimus. Potest tamen evenire, ut *circa ordinem leges civiles aliquid disponant*, quo casu ille ad solennia quoque accedit, sicuti v. g. olim cautum fuit, ut in testamentis primo fieret heredis institutio, & postea legata relinquerentur.

§. 13.

Signa etiam cum solennitatibus non semper coincidunt,

C

cidunt, sicuti enim illa ad declarandam voluntatem ubique necessaria sunt, ita modum, *quibus signis quis in hoc illove negotio uti debeat, neque ratio neque lex civilis semper determinat*, sed multum hic indulget cujuslibet arbitrio, hoc saltem requirens, ut signa sint talia, quæ liquidam agentis intentionem demonstrant. *Quodsi vero Legislator certa elegerit signa*, & ante eorum usum negotium imperfectione laboret, & quasi in suspenso sit, vel iis non adhibitis, quod jam gestum est, resolvitur aut pro nullo declaretur, tunc signa indolem solennitatum utique accipiunt. *v. g. Hodie contractus vel ore tenus vel in scriptis pro lubitu inveniuntur, & sic scriptura vel sermo signum quidem est contractus initi, non autem ad solennia pertinet. E contrario in testamentis subscriptio & subsignatio testium non solum signi loco est, testes adfuisse, & testamenti factionem auribus suis percepisse, sed etiam instar solennitatis cujusdam huic necessario accedere debet, nisi quis nuncupative testari voluerit.*

§. 14.

Ceremonias Politicas revera esse solennitates, non diffitemur, sed illæ tamen non pertinent ad jus privatum, quia nullus adest superior, qui Principi legem dicat, ut in festivitibus publicis, vel in negotiis majoris momenti, item, in exhibitione honoris erga alios Principes horumque Legatos absolute his & non aliis ritibus utatur. Quicquid igitur Princeps, qua talis, solenniter agit, illud libere facit, nisi quod prudentia hic leges decori observari jubeat, ex quibus tamen nullum neque jus perfectum neque obligatio perfecta
re-

resultat. *Limitationem* autem hæc, quæ de libertate Principum circa usum solennitatum dicta sunt, patiuntur; si nim. *Principes pacto expresso vel tacito ad certarum solennitatum observantiam se adstrinxerint*; tunc enim in præjudicium tertii eas neque tollere, neque in deterius mutare licet. Et hujusmodi pacta sæpius deprehenduntur in pluribus Rebus publicis liberis, systematice invicem conjunctis, v. g. in Germania nostra ea, quæ de modo electionis & coronationis Cæsareæ, item de sessione, processione & præcedentia Electorum in Aurea Bulla Caroli IV. disposita leguntur, invitis his, quorum interest, mutationem non recipiunt. Similiter solennis ordo sessionis ac suffragii in comitiis ferendi, propositionis item Cæsareæ, deliberationis Statuum, introductionis in Collegia &c. more hæctenus consueto retineri debet. Huc etiam referri potest solennitas, quæ circa Legatorum introitum, ad audientiam deductionem, hospitalitatis exhibitionem &c. in usu esse coepit; istiusmodi enim citra injuriam Legato, juxta diversitatem characteris, quem gerit, & dignitatis ejus, qui Legatum misit, denegari non debent: quia Princeps eo ipso, dum Legatum admittit, tacite quoque ad exhibitionem eorum se obligavit, quæ aliis, ejusdem dignitatis ac conditionis Legatis, præstari solent. Ex hæctenus autem dictis illustratur simul divisio solennitatum in eas, quæ sunt *juris gentium*, & quæ sunt *juris civilis*, quam supra §. 8. n. 10. dedimus. (f)

(f) Exempla solennitatum *Juris Gentium*, quæ attulimus, certiora sunt, quam, quod vulgo creditur, ad eas pertinere

certos occupandi ritus, gentibus usitatos, ex quibus etiam
 ius nascatur. Sicuti ex Historia antiqua notum est, hoc
 ipsum olim anam liti dedisse inter Anarios & Chalcido-
 nenses, Scil. ad urbem *Acanthum*, ab incolis desertam,
 duo pariter accesserant, Chalcidensis, & Andrius alter.
 Chalcidensis prior excurrit, tanquam Civibus suis Urbem
 occupaturus: at *Andrius*, cum eum cursu non assequere-
 tur, hastam coniectam valido ictu urbis portæ infixit,
 ac, se hasta Andrii urbem eam præcepisse, exclamavit.
 Orta hinc discordia, in socios utriusque populi *Erythraos*,
Samios ac *Parios* compromiserunt. Illi duo pro *Andrii*,
 sed pro *Chalcidensibus* soli *Parii* litem deciderunt; uti tes-
 tatur *Plutarchus*, *Quæst. Græc.* 29. referente *Hubero*,
digress. lib. 4. cap. 18 § 2. pag. 340. Nos arbitramur, *E-*
rythraorum ac *Samiorum* decusum esse iustum, si proba-
 ri possit, inter *Andrios* & *Chalcidenses* pacto semel con-
 venisse, ut occupationes ejusmodi per signa solennia
 ius tribuerent; alias accedimus *Pariorum* sententiæ:
 nam gens gentem in eis, quæ iure naturali non sunt definita,
 minime obligat sine interventu *Pacti*. Et ex eadem ratione
 iudicium formare licet, quid iuris *Hispani*, in America
 primum appellentes, ibidemque signum crucis, sym-
 boli loco, ut occupationem universæ terræ *Hispanorum*
Regi acquisitam argueret, erigentes, intuitu ceterarum
 gentium *Europæarum*, in locis, nondum actualiter possessis,
 consecuti sint? item, quid *Venetis* pro fit ista solennitas, qua
 singulis diebus *Ascensionis Domini* Dux illorum mare *A-*
driaticum, iniecto annulo, sibi desponsat? Forte *Satyricus*
 aliquis diceret, æque prudenter hoc a *Venetis* fieri, ac
 cum olim *Xerxes* *Helleponto* *stigmata* inureret, & com-
 pedes iniceret, dicendo; *Dominus tibi hanc poenam irra-*
gat. Et dum de eiusmodi gentium ritibus agimus, in-
 cidit in oculos alia quædam solennitas, *Perfic* usitata, quæ
 ab his, quibus bellum indicebant, γῆν κείνῃ ὄρωε, terram

☉ *aquam*, postulabant. Sed cum Xerxes a Spartiatis idem per legatos exigeret, illi, mentem ejus aliter interpretantes, legatos in puteum deturbarunt, & multo humo perfuderunt, Regique nunciari jussere, jam legatos aqua & terra potitos esse. Teste *Polybio lib. 9.* Confer etiam Summe Reverendi Theologi Dn. Buddei *diff. de eo, quod decet circa solennia Principum. Habit. Hal. 1701.*

§. 15.

Ceremonias Religiosas quod attinet, eas in novo Foedere non esse iuris divini, sed humani, negari nequit. Ritus enim, in veteri testamento Judæis præscripti, post adventum Messiae & prædicationem Evangelii, semel cruci affixi vim obligandi amiserunt, & Christianis, ratione cultus divini, nihil aliud mandatum est, quam ut in spiritu ac veritate Deum invocent. *Excipimus* autem simplicissimos ritus in administratione S. Baptismi & Cænæ dominicæ ab iplo Christo institutos; hos enim illis, qui ejus doctrinam sequuntur, quoties his sacramentis uti volunt, pro lege servandos esse, ex idea Regni spiritualis, a Salvatore stabiliti, sua sponte fluit. Ceteras vero *Ceremonias vel Ecclesiarum praxis, i. e. pactum tacitum, vel jussus Principis, cui directio cultus externi, quantum indoles Religionis cujusque hunc admittit, vi imperii circa sacra merito tribuitur, invexit.* Et hæ ceremoniæ in tantum sunt considerationis juridicæ, ut *vel Ecclesia ipsa, quamdiu extra curam Reipublicæ est, & in libertate sua circa externa adhuc subsistit, vel Princeps jure suo uti volens, in consilium tamen vocatis, ne scandalum excitetur, prudentiæ regulis, de iis statuere*

statuere ; simulque affectas istius Religionis ad earum usum obligare ; *vel* , qui eis se conformare nolunt , a communione Ecclesiæ excludere , nec non eos , qui ordinationes Principis liturgicas injuriosis verbis proscindunt , pœnis subicere possit. Ulterius vero nec Ecclesiæ nec Principis potestas in his rebus se extendit , nisi Papatum , tæterrimum illum orci erebique scetum , reducere iterum velis : utpote qui toties se conspicuum reddit , quoties brachium , *ut vocant* , seculare proscriptio- nibus , aliisve pœnis temporalibus ea , quæ sunt religionis , in actum seu observantiam deducere aggreditur. (ff)

(ff) Noli tamen ex his concludere , ac si , omnibus *fana- ticis & hæreticis seductoribus* , monstrosa , impia & absurda docentibus , liberam commorandi in Territorio , ibidemque disseminandi errores suos facultatem concedendam esse , arbitremur. Absit hoc ; potius , si , rationibus convicti , neque correctionem admittant , neque , se latius opiniones suas non esse propagaturos , idonee cavere possint ; optimum erit , eiusmodi hominibus purgare provinciam , ne pars sincera trahatur. Nam quod aliqui dicunt , *ministros Ecclesiæ antidota debere parata habere* , quibus ne venenum latius serpat , caveatur ; illud parum ad rem facit , quippe rolle potius venenum , & sic non indigebis *medicina* , quod si vero illud ubique expositum , & melle tinctum sit , etiamsi mille adsint medici , metuendum tamen erit , ne incauti lurido vescantur aconito. *Quæ autem a nobis dicta sunt* , illa pertinent saltem ad ceremonias religioſas , jure divino indifferentes.

§. 16.

*Differentiam styli curiæ , consuetudinis & solenni-
tatis*

tatis nunc etiam paucis attingere lubet, ubi cum *Illu-
stri* Stryckio, quem diem suum nuper obiisse omnes *Juris-
prudentiæ cultores merito lugent, diff. 23 cap. 1. n. 43. vol.*
I. supponimus, per *stylum curiæ* intelligi *consuetudinem
judicialem, quæ ordinem & modum procedendi, in ju-
dicio observandum, determinat.* Ex quo sequitur, *sty-
lum curiæ* esse partem vel speciem consuetudinis,
quam privati uniformibus actibus & quidem talibus,
quos legis instar immutabiliter observandos esse cen-
sent, introducunt, Principes autem, dum in contrari-
um nihil disponunt, tacite confirmant. Sicuti vero non
omnis consuetudo, ita nec *stylus curiæ* circa *sola* ver-
satur solennia. Præterea quemadmodum *Lex* non est
solennitas ipsa, sed *medium* saltem, per quod Prin-
ceps voluntatem suam de eo, quod solenniter fieri de-
bet, declarat; sic etiam non aliter comparatum est cum
consuetudine, tam in genere tali, quam in specie pro
stylo curiæ (g) sumta, quippe quæ tæcunda quidem
mater juris dicitur, attamen non semper solennitates
generat.

(g) *An in judiciis dentur tales consuetudines, quæ vim legis habent,*
forte non sine ratione dubitamus, quia vel ordo proce-
dendi naturalis observatur, vel Ordinationes Principis eum
delineare solent. Et quæ ex mere usu hactenus obtinuerunt,
in quantum ad substantialia negotii alicujus non pertinent, a Ju-
dicibus ipsis corrigi, mutari vel plane tolli possunt, citra cujus-
cunque injuriam. Imo tota doctrina de consuetudine,
pro lege tacita sumta, nondum certis innititur princi-
piis. Et fere dicerem, vix unquam a litigantibus, pro
fundanda intentione sua, posse allegari consuetudinem,
quin de eius requisitis, probatione, valore & effectu in
utramque

utramque partem probabiliter disputari queat ; ut pro-
 pterea etiam salubriores estimemus leges, quæ, remota consue-
 tudine, legibus scriptis, & his deficientibus, æquitati naturali
 fieri volunt, quam quæ partes ad incertum & vagum il-
 lud morum jus ablegant.

§. 17.

Ex jam dictis autem satis apparet ; eum ;
 qui Solemnitates aliis observandas proponere vult,
 summo in Republ. imperio gaudere debere, cum illæ
 sint species legum civilium, quas nemo condit, nisi
 qui majestatem habet. In Germania nostra solennia,
 quæ per totum imperium circa mediatorum subdito-
 rum negotia civilia valere debent, non nisi consensu
 Imperatoris ac Statuum introduci possunt. (b), Sed an
 maioris Statuum partis consensus hic jus faciat, non sine
 ratione quæritur ; quia in omni societate plurium ta-
 cite conventum censetur, ut, quod maximæ parti pla-
 cuit, paucos dissentientes obliget, cum nullum aliud
 detur medium, ad finem deducendi negotia. Verum,
 hoc non obstante, Negativam amplectimur, illud enim,
 quod de efficacia plurium sententiarum vulgo jactatur,
 locum saltem habet in iis negotiis, propter quæ socie-
 tas est inita, in cæteris autem, singulos fœderatos li-
 bertatem retinere voluisse, magis credibile est. Jam
 quæso, quid interest imperio, utrum v. g. in nonnul-
 lis territoriis coram septem, alibi vero coram duobus
 testibus ultimæ voluntates conficiantur ? Num con-
 sensus matrimonialis coram Parocho, an coram Ma-
 gistratu declaretur ? Num Tutores omnes judicialiter
 confirmentur, an vero, si in Testamento sint dati, sim-
 pliciter admittantur ? Ista enim, quomocunque se
 ha-

habeant, statum publicum plane in nullo perturbant. Ob similem rationem affirmamus quoque, *Status Imperii, sicuti in universum leges privatas, consensu comitiali latas, ita etiam solennitates, in eis definitas, per leges contrarias in suis territoriis, propria auctoritate, abrogare licite posse.* Consensus enim olim interpositus & subscriptio Recessuum id quidem evincit, revera consentientes has leges quondam approbasse, sed nondum valide propterea concluditur; Ergo facultati mutandi ac derogandi Status renunciarunt; de hoc enim multo liquidius constare debet. Porro disputari etiam acriter solet, *an Principes Imperii in negotiis, quæ ut privati gerunt, solennia juris civilis servare debeant?* Nos illud *negamus, (i)* nam in iis causis, ubi Principes expresso pacto se juri positivo privato non submiserunt, eorum actiones privatæ ex jure divino saltem decidendæ sunt. Hinc v. g. si Princeps minor bona quædam allodialia vel patrimonialia alienet, non opus est causæ cognitio neque decretum superioris. *(k)*

(b) Ex hoc ipso judicari potest, *an recte fecerit Carolus V. quod Missæ solennia Principibus Protestantibus invito obtrudere iterum voluerit?* etiamsi enim Pontificis concederetur, Missam non adversari Scripturæ sacræ, attamen vel hoc solo illa libere repudiari potuit, quod sit institutum humanum, quale liberos Principes in suis territoriis abolere posse, satis constat.

(i) Idem sentit nobiscum Ziegler. *de Juribus majest. lib. I. cap. I. §. 28.* cujus hæc sunt verba; *Solennitates, in actionibus civium observandæ, Principem neque quoad vim coactivam neque quoad directivam obligant. Nec enim per eas obligari voluisse præsumitur, quippe quas subditis suis præscripsit, & de re*
D
quidem

quidem tali, qua ex se indifferens est, cujusque adeo contrariam, extra legis dispositionem, committi sine peccato potest. Uti igitur superior est Princeps subditis suis, ita per legem istam subditorum in censum redigere se voluisse, suaeque legi se subiecisse, nulla ratio suadet, adde illustr. Thomalii diss. de statuum imperii potestate legislatoria contra jus commune, bab. Hal. 1703.

(A) Nos loquimur *de jure*, non vero *de praxi*, multo minus suademus Principi, ut solennia juris privati negligat; quamdiu enim inolitae praerudicia lictorum animos obnubilant, eorum gustui se accommodare, quam, legitis casum exponere, utilius erit.

§. 18.

In singulis territoriis Germanicis auctor solennium est is, qui eis cum summo imperio praest. Jus igitur, Solennitates per modum legis introducendi, neque singuli subditi, neque collective summi habere possunt, nisi id faciant ex consensu vel approbatione superioris, quae sola tunc eis robur conciliat: & perinde est, siue ipse Princeps quid agat, siue hoc aliis perficiendum committat. Excludimus igitur ab ista facultate (1) *Doctores juris*, his enim, explicare, interpretari & ad factum applicare leges, permissum quidem est, non autem leges condere. Hinc Dd, de solennitate testantibus, non aliter fides habetur, quam quatenus ex lege id probant, haec vero si adsit, testimonio & allegatione Doctorum non indigemus. (2) *Personas morales compositas, Reipubl. subordinatas*, quales sunt municipia, universitates, collegia. Haec enim corpora ex singulis individuis constant, quod igitur unum eorum in specie non licet, illud nec omnibus conjunctim sumptis tribui potest; & respectu Principis omnia

omnia collegia non minus privatis ac subditis accen-
sentur, quam singula membra; nec ob solam coaliti-
onem moralem alia jura nanciscuntur universitates,
quam quæ eis hoc respectu Princeps indulgere voluit:
jam vero, Principem jus legum ferendarum in subdi-
tos suos transferre voluisse, tamdiu recte negatur,
donec de eo apertissime constet. (1) *Judicia* tam infe-
riora, quam superiora, hæc enim delegatam tantum
potestatem exercent, (m) & eum in finem a Principe
sunt ordinata, ut juxta jus constitutum in causis pro-
positis pronuncient, non ut novas leges figant, aut
refigant. (n) Sed, *inquis*, si nulla circa introductio-
nem solennitatum potestas competit subditis, seque-
retur, nec per consuetudinem illas introduci posse,
cum tamen consuetudinis eadem sit vis, quæ legis
scriptæ. *Resp.* Prius nos convenire debere, quid per
consuetudinem intelligamus: *si enim* hac voce volun-
tatem Principis tacitam, factis sufficienter declaratam,
denotes, concedimus, eam esse legem ipsam; sed tunc
requirimus, a) aliquoties uniformiter hoc vel aliud
ita esse actum, β) ad Principis notitiam id pervenisse,
γ) actus ita celebratos, orta super iis controversia, tan-
quam legitimos, ex præscripto Principis confirmatos,
contrarios vero pro invalidis declaratos esse. *Econtra-*
rio si per consuetudinem intelligere velimus actus
privatorum, sæpius iteratos, quibusque consensus
Principis accessisse fingitur vel præsumitur, tale con-
suetudinarium jus relegandum putamus, ne subditis
licentia concedatur, propriis factis, ope fictionum,
autoritatem legalem conciliandi.

(1) *Nam utiliter prohibeatur allegatio Dd. in iudicio quæritur, quod affirm. nam 1. in iudiciis non autoritatibus sed rationibus pugnandum. 2. Improvidi iudices sæpius his allegationibus seducuntur. 3. Rationes Dd. allegari possunt, omiſſa eorum mentione, & sic Iudex facile deprehendet, an illæ ad casum præsentem quadrent, & in ratione vel lege fundatæ sint, nec ne. Propterea- que laudari meretur prudentissima Ordinatio judicialis, in supremo Slesvicensi Dicasterio ante aliquot annos publicata, quæ allegationes tales sub gravi multa sustulit.*

(m) *Hinc vulgatum illud: quod iudicis autoritas omnes solemnitates suppleat, tum demum verum est, si legibus ipsi tanta autoritas sit concessa, prouti in materia testamentorum res est liquida. Alias sola ratihabitio iudicis non potest magis aliquid operari, quam quod fuit in lege.*

(n) *Et ob eandem rationem, Præjudicata etiam summorum Tribunalium ad decisionem causarum nihil facere, certissime persuasi sumus. Norma enim illorum est Lex, sive positiva humana, sive divina, & si cum hac congruant, quid opus est præjudicatis? sin discrepent, vel ineptiam priorum iudicum vel eorundem malitiam arguunt. Non obſtat, quod suprema Dicasteria nomine Principis agant. Nam hoc verum est, quatenus instructionem perpetuam, legibus determinatam, sequuntur, non autem, quatenus eam negligunt: Pari modo, sicuti mandatarium, fines mandati egrediens, negotia mandantis gefisse dici nequit. Nullum igitur alium usum præjudicata præstant, quam ut incertiam iudicantium, iterata sæpius iniustitia, obvolvant. Quod ipsum procul dubio in causa fuit, quare SERENISSIMUS PRINCEPS & ADMINISTRATOR horum Ducatum Advocatis multa 50. thalerorum irrogare voluerit, si illi ad præjudicata provocent.*

§. 19.

Objectum solemnitatum, uti ex divisionibus, supra
 §. 8. *propositis, colligere licet, sunt negotia civilia, (o)*
sive

sive tendant ad juris acquisitionem, translationem, extinctionem, sive ad ejus prosecutionem. Quia enim Lex divina modum, quem quis in acquirendo, transferendo, extinguendo, conservando & prosequendo jure observare teneatur, non præscripsit, hoc ipsum arbitrio humano, tanquam res indifferens, relictum fuit. Possunt igitur Imperantes, in quos summa rerum, seu dirigendi & cogendi vis, transit, optimo jure determinare, quid quisque circa hæc negotia facere debeat. *Non tamen id volumus, quasi omnes isti actus sub certis ritibus celebrandi sint*, hoc enim nec necessitas, nec utilitas, nec decorum postulat: imo caveat sibi potius prudens Legislator a jurisprudentia nimium formularia, ne drama scenicum potius quam legitimos actus exhibere videatur. Interim, quoties imperans, hoc e re Reipublicæ fore, arbitratur, integrum ipsi erit, omnis generis actionibus, effectum quandam juridicum involventibus, certas solennitates superinducere. Imo *utilissimum* quandoque esset, talia sanciri. *Exemplo* sit materia usucapionis ac Præscriptionis; quis enim nescit, quanta inter Dd. sint litigia de ejus requisitis, & imprimis de bona fide, quam jus Canonicum omni tempore requirit, de præscriptione servitutum discontinuarum, & quatenus præscriptio contra colonum noceat Domino prædii &c. jam vero, si lege cautum esset, ne unquam præscriptio allegari possit ratione servitutum, (p) in ceteris vero causis præscriptionis longi temporis nulla habeatur ratio, nisi probaverit, se, pos-

D 3

sessio.



sessione rei obtenta, animum præscribendi judici denunciasse, huncque istam declarationem alteri parti, contra quam præscribitur, insinuari curasse, & ab illo tempore certum annorum spatium effluxisse, hac ratione infinitis litigiis brevissimus finis imponeretur, nec præscriptio *impii præsidii* titulo, uti vocatur in *No-vell. 9.* amplius dehonestari posset.

- (o) Per *negotia civilia* hic intelligimus *actiones subditorum*, quatenus ille legibus subsunt, sive consistant in contrahendo, ultimo elogio condendo, sive in delinquendo, vel jus suum judicialiter prosequendo, aut defendendo. Ex quo simul fluit, *actiones innoxie libertatis, seu mera facultatis, in hanc classem non venire*, v. g. quibus ritibus quis edere, bibere, cubitum ire debeat &c.
- (p) Sicuti jam olim *Lex Scribonia*, quæ tempore Tiberii lata creditur, prohibuit, ne servitutes usucapione amplius acquirantur.

§. 20.

Formale solennitatum consistit in certis ritibus, a Legislatore ejusmodi actibus superadditis, qui, nisi lex positiva obstaret, ex mera simplicitate juris naturalis jam tum antea, sine horum rituum usu, essent validi, nunc autem id efficiunt, ut eorum accessione negotium habeatur pro legitimo & valido, vice versa eorum omissione actus vel nullus declaratur vel rescindatur. Sequitur inde, *si negotium intrinseco*, ut ajunt, *vitiò laboret*, seu, quod clarius, nequidem simpliciter gestum juxta jus naturale valeret, *solam formam adhibitam ei non prodesse, nisi* torte in hoc unico, quod, de cujus actus solennitate statim apparet, *presumptio recti & justii* tamdiu capienda sit, donec contrarium proberur,

v. g.

v. g. Si testamentum producaturo nullo visibili vitio laborans, is, qui in eo scriptus est heres, statim in possessionem rerum hereditariarum mittendus est, sed si probetur deinde, testamentum metu fuisse extortum, propter hoc unicum, quod solennitates adhibitæ sint, is, qui possessionem obtinuit, non poterit hæres manere, sed testamentum tanquam nullum corruit, & successioni ab intestato locus est.

§. 21.

Quibus autem ritibus solennia sint peragenda, arbitrio & prudentiæ *Legislatorum* merito relinquitur, quorum officium in eo versatur, 1) ut prospiciant, num solennitates sint necessariæ vel utiles ex hypothesi illius civitatis, cui præscribi debent? (q) 2) ut, quantum fieri potest, simplicissimi adhibeantur ritus, rejectis iis, qui multas requirunt ambages; (r) 3) ut forma solennitatum accuratissime delineetur, alias enim cavillationibus ansa daretur, & jus incertitudine laboraret, quo nihil deterius esse potest; cum præstet jure positivo plane carere, & naturalis æquitatis dictamina sequi, quam vago & fluctuante niti.

(q) sicuti in omnibus legibus noviter condendis primario salus ejus Reipublicæ, cui feruntur, respici debet; ita similiter introductione solennium ratio habenda eris commodi, specialiter inde nostræ Reipublicæ accrescentis, quod si nullum appareat, inepta stultitia non carebit institutum. Interim tamen non id volumus, ac si subditis liberum esset, respuere leges, quarum nullam deprehendunt utilitatem; adversaretur enim hoc indoli imperii ac subiectionis, cujus hæc est summa, quod omne de utilitate publica judicium devolutum sit ad Imperantes, subditis vero sola obsequii gloria relicta maneat

maneat, nisi pactis aliud fuerit conventum. Et sic etiam e. g. non improbamus *leges de usu chartæ sigillatæ*, vom gestempelten Papier; esto enim, te non comprehendere, qualem utilitatem hoc institutum afferat privatorum contractibus, attamen sufficit, si cum inde locupletiores reddi, cujus reditus, impositione hujusmodi onerum, jure possunt augeri; cum enim *omnia negotia civium, ubi aliquid acquirunt vel in alios transferunt, tributis obnoxia censeantur*, quid refert, an Princeps pro charta, in qua negotia consignantur, aliquid exigat, an alio collectandi modo utatur?

- (r) Requirit hoc 1) *majestas & dignitas Juris*, ne solennitatum coacervatio ludi scenici magis, quam actus legitimi, speciem referre videatur. 2) *Subditorum conditio*, cum enim major horum pars non possit multum temporis studio juris impendere, leges tam faciles esse debent, ut a quolibet sine magna opera cognosci queant.

§. 22.

Lubet nunc etiam paulisper inquirere, *num solennitates Juris Romani prudenter fuerint introductæ, nec ne?* Antequam vero respondeamus, supponendum erit, per *Prudentiam civilem* intelligi *habitudinem eligendi media, quibus vera felicitas Reipublicæ externa stabiliri, conservari, vel promoveri potest.* Omnia igitur instituta civilia, quæ illum scopum non respiciunt, sed ad oppressionem civium directo tendunt, *tyrannica*; quæ vero per indirectum cum injuria civium, dominationis gratia, sub specie utilitatis publicæ suscipiuntur, *astuta vel callida* nobis dicuntur. His præmissis, non dubitamus affirmare, *solennitates Romanas non veræ prudentiæ, sed astutiæ Patriciorum fuisse commenta.* Patebit hoc clarius, si *statum Reipubl. Romanæ antiquum*

con-



consideremus, qui initio fuit Regius, simul tamen valde temperatus, & postea, ejectis Regibus, inter Aristocratiam ac Democratiam fluctuans, ubi, prout occasio ferebat, vel Patres vel Plebeji sibi potiores imperii sumebant partes. *Scopus hujus Reipublicæ* erat duplex, alter *Communis*, qui in dilatando in infinitum imperio & corradendis totius mundi divitiis; alter *Particularis*, qui in suppressione vel populi vel optimatum consistebat. Utrumque autem valde a regulis prudentiæ abire, in aprico est. Sicuti enim nimia obesitas ventris magis nocet, quam prodest, ita vastitas Reipublicæ sua ipsius mole laborat: præterea que stultum omnino est, affectare id, quod nunquam obtinere poteris, & cujus gratia tamen aliorum odia in te concites. Multo autem adhuc ineptius censetur, intestinas similtates domi consulto fovere, & nihilominus res magnas foris agere velle. Jam, si finis sit malus, omnia etiam media, ad finem ducuntur, eodem vitio laborant, idemque applicatur recte ad *solennia Juris Romani*, utpote quæ in genere *illuc tendebant*, ut vel 1) populo Romano prærogativa juris præ omnibus Gentibus acquireretur, (s) vel 2) plebejorum negotia civilia permultis difficultatibus involverentur, (t) quo hac ratione arbitrium fortunarum esset in manibus Patriciorum, quorum in consultando, respondendo ac decidendo maxima erat autoritas. Simulque, dum plebs satis negotii habebat in rebus privatis ordinandis, hoc ipso a nimia cura rerum publicarum amovebatur, nec non similtates inter plebem alebantur; quoniam non raro ob defectum

E

se-

solennitatum, quarum tamen accuratam, præter Pontifices, Jctos & Magistratus, nemo fere habebat notitiam, alter alterius justam petitionem exclusit.

(s) *Populus Romanus* initio erat *colluvies hominum*, ex *raptis viventium*, quibus, cum vires adolevissent, summa votorum in eo erat sita, ut omnibus vicinis gentibus dominari possent; ne igitur unquam causa deficeret, sibi prius, de aliis, persuadere voluerunt, ac si *Roma Orbis domina foret*, nullumque imperium mundanum proprio & vero jure constare possit, nisi incolumitatem ei *Populus Romanus* promiserit. Quo autem de præcellentia ista *Quiritum* eo magis constaret, excogitandi erant varii ritus, quibus omnia alicujus momenti negotia expediti debebant, indeque venit, ut jus testamenti factionis, contractuum, matrimonii, adoptionis, & domini dicatur proprium civium Romanorum. *Devictarum* enim gentium & exterorum jura habebantur pro precariis saltem, quasi non diutius valitura, quam quousque *Populo Romano* hoc placuerit.

(2) *ICTorum* technis hic multum deberi, testis est *Cicero*, *Orat. pro L. Muræna*, ubi dicit; *Cum per multa præclare legibus essent constituta, ea Jure Consultorum ingenii pleræque corrupta ac depravata sunt*: ibidemque ineptiam artis formulariæ vehementer exagitat; *Liber* locum elegantem huc referre. Ita autem *Cicero*; *Dignitas in tam tenui scientia quæ potest esse res enim sunt parvæ, prope in singulis literis, atque interpunctionibus verborum occupate. Deinde, etiamsi quid apud majores nostros fuit in isto studio admirationis, id, enunciatis vestris mysteriis, totum est contemptum & abjectum. Posset agi lege, nec ne, pauci quondam sciebant. Fastos enim vulgo non habebant. Erant in magna potentia, qui consulebantur: a quibus etiam dies, tanquam a *Chaldeis*, petebantur. Inventus est scriba quidam *Cn. Flavius*, qui cornuorum oculos confixeris, & singulis diebus ediscendos fastos putato*

pulo proposuerit, & ab ipsis cautis Jurisconsultis eorum sapien-
 tiam compilarit. Itaque irati illi, quod sunt veriti, ne, die-
 rum ratione pervulgata & cognita, sine sua opera lege posset
 agi, notas quasdam composuerunt, ut omnibus in rebus ipsi interes-
 sent. Cum hoc fieri bellissime posset: Fundus Sabinus meus
 est; immo meus, deinde iudicium noluerunt (i. e. discesse-
 runt a simplici agendi formula) Fundus, inquit, qui est
 in agro, qui Sabinus vocatur. Satis verbose. Cedo quid
 postea? Eum ego ex jure meum esse ajo. Quid tum? In-
 de ego te ex jure manu confertum voco. Quid huic
 tam loquaciter litigioso responderet ille, unde petebatur, non ha-
 bebat. Transiit idem Jctus tibicinis Latini modo; Unde tu
 me, inquit, ex jure manu confertum vocasti, inde ibi
 egate revoco. Prator interea, ne pulchrum se ac beatum
 putaret, atque aliquid ipse sua sponte loqueretur, ei quoque car-
 men compositum est, cum ceteris rebus absurdum, tum vero nullo
 usui, utrisque superstitibus, praesentibus istam viam dico:
 ite viam. Praesto aderat sapiens ille, qui ire viam doceret: Re-
 dite viam. Eodem duce redibant. Hac jam tum apud illos
 barbaros ridicula, credo, videbantur, homines, cum recte, atque
 in loco constitissent, iuberi abire, ut, unde abiissent, eodem sta-
 tim redirent. Iisdem ineptiis fucata sunt illa omnia, Quan-
 do te in jure conspicio. Ecce hac, sed anne tu dicis, qui
 causa vindicaveris? quae dum erant occulta, necessario ab eis,
 qui ea tenebant, petebantur: postea vero pervulgata, atque in
 manibus jactata & excussa, inanissima prudentia reperta sunt,
 fraudis autem & stultitiae plenissima. Ex hisce Ciceronis dictis
 refutantur quoque illi, qui jurisprudentiam formulari-
 am Romanorum excusare, & ab ineptia liberare volen-
 tes, tali argumento utuntur; Leges attemperandas esse ge-
 nio populi, Italos vero natura callidos fuisse, ita, ut si simplici-
 bus verbis contrahere inter illos licuisset, deceptionibus nullus fer-
 me poni potuisset modus. Esto enim, solennia fuisse necessa-
 ria, attamen nec mimica, nec talia introducenda erant,
 quae multo majoribus cavillationibus & circumventioni-
 bus ansam darent.

A Romanis progredimur ad *Germanos*, & *num solennia*, ab illis inventa, ex regulis prudentiæ *Legislatoriæ* commendari mereantur, dispiciemus. Ubi ante omnia distinguendi erunt *quatuor periodi juris Germanici*, quarum *Primam* constituimus à primordiis gentis Germanicæ, usque ad *Seculum a C. N. quintum*, illamque vocamus *juris incerti*, nam quæ *Tacitus & Jul. Cæsar* de Germanorum moribus referunt, non tam *Leges*, quam *statum eorum publicum & usitatam vitæ rationem*, aliquatenus adumbrant. *Solenitates* autem apud *Germanos* tunc exulasse valde probabile est, si consideremus, eos naturali potius quam artificiali acquirendi modo incubuisse, spreis divitiis ac agrorum possessionibus, utpote quorum vita omnis in venationibus & in studiis rei militaris consistebat; quæ egregie latius exposuit olim *summus ICtus noster Dn. Consiliar. Just. Nic. Martini*, in disert. de *Republ. antiqua veter. Germanorum*, sub *Præsidio illustris Conringii an. 1654. Helmstadii habita. thes. 6. 19. 20.* Imo, *Germanos* à ritibus juris ac processibus *Romani* maxime abhorruisse, inde patet, quod cum *Quintilius Varus*, tempore *Augusti Cæsaris*, more *Romano* cepisset in *Cheruscis* judicia instituire, statim illi conjurarint, ac cæso *Varo*, tribusque *Legionibus* obrutis, præcipue in *causarum patronos* favierint; quam rem ita narrat *L. Annaeus Florus l. 4. cap. 12.* *Nihil illa cæde per paludes, perque sylvas cruentius; nihil insultatione Barbarorum intolerantius, præcipue tamen in causarum Patronos.* Aliis oculos, aliis manus

uns amputabant, unius os sutum, recisa prius lingua,
quam in manu tenens Barbarus, tandem, inquit, vipe-
ra, sibilare desisse. Conring. *de iudiciis Reip. Germanicæ*
ibef. 17. Sed cum postea Franci peculiare regimen in-
 stituisent, ac eorum Rex Clodovæus M. circa an. 500.
 Alemannos & Bajoarios devicisset, scriptas suas leges,
 quas Salicas appellamus, devictis populis servandas
 proposuerunt. Similiter ceteri Germaniæ Populi, sub
 nomine Burgundionum, Ostro- & Wisi-Gothorum,
 Longobardorum, Normannorum &c. in provincias
 Romanas irrumpentes, peculiare sibi condiderunt
 leges. Illis vero, qui in Germania remanserant, Ca-
 rolus M. & qui eum insecuti sunt Reges, partim ve-
 teres leges confirmarunt, partim novas præscripse-
 runt, quarum aliqua supersunt, multæ perierunt. (u)
 Et hæc jura ad *Secundum periodum* referimus, quæ
 a seculo V. duravit usque ad sec. XIII. illamque di-
 cendam arbitramur statum *juris antiqui*. Sicuti autem
 Leges illæ antiquæ conditæ sunt a populis, quibus
 hostem ferire magis, quam artium ac jurisprudentiæ
 studiis vacare, volupe fuit; ita etiam in eis non adeo
 multum de ritibus juridicis invenies, & si qui adsint,
 vel simplicitatis, vel militaris vitæ, vel barbariei de-
 nique iidem testes erunt. Tota enim gens, inquit
 Tacitus, non astuta, nec callida fuit. Succedit nunc
Tertia periodus, quam a seculo XIII. usque ad secu-
 lum XV. durasse, compertum habemus, illaque nobis
 audit status *juris mediæ ævi*. His temporibus, circa
 annum 1128. cum studium juris Justiniani in Bono-
 niensi Schola recruidisset, quod multis præsertim Gi-
 belli-

E 3

belli-

bellinis i. e. iis, qui Cæsarum partes sequebantur, ar-
ridebat; Pontifex Gregorius IX. ne auctoritati papali
quicquam decederet, per Raymundum de Pennaforti,
Cappellanum suum, Decretales Pontificum Epistolas
an. 1230. colligi curavit, earumque usum scholis
ac judiciis mandavit. Et hæc jura, postquam Alpes
transierant, etiam Germanorum judiciis sensim se in-
nuarunt, ita tamen, ut patriæ leges ac consuetudines
nondum eis per omnia cederent. Sicuti non minus
illud, judice Kulpisio in doctissima *Dissert. de Germanic.
LL. Veterum ac Romani juris in Republica nostra
origine* &c. p. m. 363. Majores nostros commovit, ut
ex Imperatorum constitutionibus, consuetudine ac
interpretatione prudentum subnata jura colligere in-
stituerint, ne scil. extraneum ac novum jus domesti-
cas leges plane supprimeret. Quare prodiit tunc in
lucem jus Saxonicum Provinciale, a quodam Eecone
a Repkau privato studio conscriptum, & postea, se-
culo XIV. jus Feudale Saxonicum; ut & jus Weich-
bildicum Magdeburgense. (w) Similiter in hoc seculum
incidit compilatio speculi Suevici. Jus Lubecense
autem jam tum editum fuit an. 1254. uti ex quo-
dam MSCto (x) notavit Dn. Mauritius in *introductione
ad praxin. For. §. 22.* In hac periodo solennitatum
progerminavit uberrima seges, ita tamen, ut, quan-
tum de barbarie priorum seculorum remissum fuit,
tantum superstitioni ac vanitati nunc, ubi densissimæ
in omni scientia regnabant tenebræ, accresceret. De-
nique sequitur *Periodus Quarta*, quam appellamus
juris novissimi; quoniam enim seculo XV. in Germa-
nia

nia aliquot Academiae juxta formam Italicarum instituta, iisque Civilis ac Canonici Juris Doctores admoti sunt, majorem indies extraneae leges acceperunt auctoritatem, & quidem talem, ut, quando jus patrium deficit, ex Romano vel Canonico jure, pro argumentorum diversitate, & quatenus hoc statui moderno applicari potest, i. e. *aequitate vel utilitate insigni nititur*, in subsidium decisio fit capienda. Solennitates igitur, quibus in hanc usque diem utimur, *vel generales sunt*, Legibus Imperii praescriptae, quorum potissimum, quantum ad jus privatum pertinet, illas referimus, quae circa originem & modum procedendi in supremis Imperii Dicasteriis observandae; *vel particulares*, certarum scil. provinciarum, has enim a singulis Statibus vi Superioritatis ordinari posse, nulla indiget probatione; cetera autem *juris Romani, Canonici ac Longobardici solennia non aliter ad jus Germanicum pertinent, quam quousque iis vel confirmatio peculiaris accessit, vel ratio commodi publici & observantia valorem conciliavit*. Quodsi nunc ad prudentiae stateram solennitates has examinare velimus, in genere dicendum erit, rationabiles censei illas, quatenus finem a Legislatore intentum promovent, juri divino non contrariantur, captationibus, cavillationibusque non patrocinantur, nec litigia facile pariunt aut sufflaminant, sed potius ea extinguunt, ac denique libertatem civilem, in rebus indifferentibus, salvam relinquunt civibus. Quid autem in specie de juris Canonici ac Romani solennibus sentiendum sit, quoad singula capita hoc loco ostendi non potest, promiscuam tamen

eorum

eorum admissionem parum Germaniæ commodo
 cessisse, *Conringii* magis quam propriis verbis proferre
 malo. Ita enim ille in *diff. de judiciis Reip. Germ.* th. 60.
Una cum Legibus Romanis simul etiam ea in foro pro-
cedendi ratio, quæ Papali curiæ laudatur, opinionem
accepit in Germania eximia prudentiæ pariter & equi-
tatis; eoque, ut ad alias, ita & ad Principum contro-
versias, ceptam illam admoveri, non est mirum. Est
autem illa proluxa admodum, & plurimum a prisca tot
seculis recepta simplicitate diversa. Iam vero constat
quoque cum aliunde, tum ex querelis Ordinum imperii
publicis, jam tum seculo XV. effusis, eo tempore, quo
leges Romanæ ceperunt pedem in Germaniam inferre,
artis rabulariæ quoque sparsam in mores nostros semen-
tem, uberrima fruge brevi divitem, ut ne caveri qui-
dem potuerit, quin & in Principum lites frequenter
dispergerent sese pessimæ radicis surculi. Enimvero
nonnunquam a sola illa mala arte, ut vulgo alias, ita
& Principum controversias maximas pene in infinitum
protractas esse, nemo Germanicarum rerum peritor
negaverit. Adde th. 97. 98. 99. 107. it. Kulpif. dissert.
epistol. de Germanicar. legum veterum ac Romani juris
in Rep. nostra origine & autor. p. m. 424. seqq. (xx)

(u) Industriam in collectione harum legum inprimis exer-
 cuerunt *Frid. Lindenvrogius* in *Codice LL. Antiqu. Ba-*
luzius de Capitular. Regum Francor. Lucas Holsteinius in
Capitulatione Karoli M. de partibus Saxonix & in Capi-
tulari Saxonico, Romæ edito; item Ansegisus Abbas & Be-
nedictus Levita in *Capitular. Caroli M. Ludovici pii etc. Paris.*
1603. Ulr. Zasius in *Catalogo LL. Antiquarum, quem*
illustravit Ludov. Charondas Paris. 1555. 8. uterque etiam
 Tracta.

Tractatus Tractat. Tom. 1. insertus est. *Leges Ribariorum & Bojariorum* a Theodorico Rege Francorum latae, *Basilie* prodierunt 1530. 8. *Regualdus Ingemundus* edidit LL. Gothorum Suecorumque, *Stockh.* 1614. 4. adde *Job. Messenii* *Leges Suecor. Gothorumque*, *Rostochii* 1614. 4. De LL. Longobardorum videatur *Andr. de Baruto* in *Comment.* ab LL. Longob. Venet. 1537. *Nicolaus Boërius* in *Annot.* ad LL. Longob. Venet. 1537. *Caroli Tocci* *Glossæ* in LL. Longob. *ibid.* De Legibus Salicis extant *Hier. Bignoni* notæ ad LL. Salicas. *Parisi.* 1666. f. *Job. Basili.* *Heroldi* *Antiquæ LL. Salicæ, Saxonicæ etc.* *Basil.* 1557. *Job. Pyrrhus* de *Lege Salica* *Hanov.* 1603. 8. *Gorhofredi Wendelini* LL. Salicæ, *Antvv.* 1649. f. *Henr. Cocceji* *Orat.* de *Lege Salica*, *Heidelbergi* 1672.

(w) Singularia & multa curiosa, de autoritate juris Saxonici, ac de compilatore Speculi, suppeditantur in *den* *Antwort-Schreiben auff etliche Fragstücke eines gelehrten* *Gelmanns* Num. XVII. quæ accesserunt Tomo V. *Der* *Hallschen außersesenen Anmerkungen.*

(x) Antiquum illud jus Lubecense lingua Saxonica, in *Nieder* *Sächsischer Sprache* non Misnica conscriptum fuisse, & in multis ab eo, quod an. 1586. *Sermone latino & Germanico* *Lubecæ* editum est, discrepasse, testatur *Mauritius*, æternum illud *Kiloniensium decus*, in *Introd. ad prax. for.* S. 22. Num autem mutatio ista & transpositio hujus juris in linguam Misnicam utilitatem quandam ei attulerit, nobis, quibus textum veterem inspicere nondum licuit, ignotum est. Veremur tamen, ne forte, studii juris Romani amore, nonnulla instituta patria a *Correctoribus* præter rationem fuerint rejecta, simulque circa interpretationem textus antiqui unus alterve error obrepserit incautis. Quemadmodum idem accidit Speculo Saxonico, hoc enim cum e dialecto Saxonica aliqui in Misnicam vertere voluerunt, non leviter interdum a vero sensu aberrarunt.

(xx) Huc faciunt quoque illa, quæ in *Corwingiamis*, a *Dn.* *Rit-*

Ritmeiero an. 1708. Helmstad. editis, leguntur p. m. 47. *Forensium processum non dubito numerare inter arcanissima & speciosissima dominatus instrumenta, Aristoteli ipsi ignorata: ut pote cum licibus aeternis involvat subditos, & omnia trahat in Curia reverentiam & obsequium, idque sub pretextu justitia, nec subditis advertentibus; quos herilibus imperiis nihil esse utilius, vidit quidem Aristoteles, modum tamen hunc artificiosissimum ignoravit, & paulo post pag. 48. Ego in illo Justiniano opere magis magisque videor mihi observare arcanam calliditatem, legum religione populum sub jugum mittendi. Itaque pene aequum dicere, legibus istis, ad τυραννίδος sive herile aliquod imperium statummandum, haud temere quid aptius excogitari posse, modo observentur ex parte, quales illas nobis Justinianus dedit, abolitis omnibus consuetudinibus & institutis Germanicis, in usum populi conditis, quae sola sufflamant dominatum τυραννίδος, quem intentavit Justinianus, herilis ingenii Caesar.*

§. 24.

Quae haftenus dicta sunt, ad disquisitionem generalem nos deducunt, num *Reipublicae utile & ex re jurisprudentiae sit, ut solennitates introducantur?* Scilicet nullo certos ritus, praeter id, quod naturalis ordo rerum, ipsa ratione dictante, servandum jubet, divino jure universali praecipitos esse, supra §. 9. n. 1. adstruximus. Esse autem illos per se *indifferentes*, & sic imperantium dispositioni civili obnoxios, nemo, cui sanum est sinciput, negabit. Remanet igitur sola *questio politica*, quid ratio utilitatis circa hanc rem imperanti vel Legislatori suadeat? Huic igitur ut satisfaciamus, inspicendus erit *finis*, quem LLatores in ordinandis solennibus sibi propositum habent, & simul attendendum, *an iste finis ad effectum suum producendum aptus*

aptus sit, nec ne. Jam vero unusquisque prudens & justus Legislator procul dubio ob has rationes *Solemnia* præscribit, 1) *ut* facilius excludatur dolus & error, (y) quem abesse a negotio gesto tunc præcipue præsumi debet, si partes non lubito & quasi aliud agendo, sed animo præmeditato, & adhibitis quibusdam singularibus circumstantiis, intentionem suam declaraverint 2) *ut* de veritate actus celebrati eo certius ac liquidius constet, & probatio citius absolvi possit, nec violationi fidei vel litium ambagibus ansa detur. 3) *ut* confusiones in rebus maximi momenti, & a quibus privatorum consequenter etiam publica salus pendet, quantum possibile, evitentur. Sicque apparet, *quædam civium negotia ita esse comparata, ut, moraliter loquendo, impossibile fere sit, Rempubl. manere incolumem, si promiscuo & arbitrario modo eadem peragere liceret.* v. g. Quanta litigia orirentur, si ea statim pro legitima uxore sit habenda, cui quis vel semel remotis testibus matrimonii fidem dederit? quot homicidia occultarentur, si cuilibet jus privatæ sepulturæ concederetur? quam lata Hæredipetis, grassandi in aliorum bona, panderetur via, si vel nuntio vel unico verbo hereditates relinqui possent? quot ineptias ac improbitates committerent Judices, si nullus eis præfixus esset procedendi modus? &c. *In nonnullis autem rebus eadem necessitas quidem non deprehenditur, attamen utilius videtur, ut solenniter gerantur, quam pro cujusque arbitrato.* v. g. si quis, qui hereditatem adit, creditoribus ultra vires hereditatis obligari nolit, utiliter sancitum est, ne aliter hoc fieri possit

possit, quam si inventarium conficiat, nam hoc ipso evitantur diffusiones & subtractiones bonorum aliis obæeratorum. Huc etiam spectant constitutiones certarum Provinciarum, ut rerum immobilium venditarum resignatio judicialiter fiat; ut contractus mutui, ad effectum hypothecæ consequendæ, actis insinuentur; ne sponsalia Rusticorum pro publicis & validis habeantur, quam si coram Parocho fuerint celebrata &c. (z) Hincque concludimus, *omnia solennia, quæ ad coercendam civium malitiam, ad excludendum errorem, ad evitandam præcipitantiam, ad impediendam confusionem, ad conciliandam actui auctoritatem, & ad refrenandum litigandi pruritus revera faciunt, rationabilia esse, quæ vero hos effectus non producant, licet Legislatores ex optima intentione ea ordinaverint, tanquam minus rationabilia seu frustranea, (a) & denique illa, quæ consulto ad stabiliendas fraudes vel ad implicanda negotia inventa sunt, tanquam injusta respicienda esse.* Et juxta hanc regulam de singulis solennitatum speciebus facile judicium ferri potest.

(y) Sic, postquam ante aliquot secula, cleri papalis astituta, invaluerat mos, ut Nobiles ac ingenui, juxta juris Canonici præscriptum, coram Parocho & duobus testibus *ultimas voluntates* conderent, ac in eis multa pro salute animarum legarent, quod postmodum usu Rerum publicæ eximebatur; non inepte illo tempore, ubi testandi jus jam nimis altas radices egerat, a Maximiliano I. Imp. ad reprimendas quodammodo fraudes Clericorum, statutum fuit, ne aliter, quam juxta formam juris civilis, testamenta conficiantur.

(z) Aliud exemplum præbet *Notariorum creatio*, quæ olim non

non aliter rite fiebat, quam si Creatores jurassent, se nec ambitione, nec gratia ulla, sed sola virtutis conscientia ad novi Tabellionis electionem adductos esse. *vid. Ziegler. de Jur. maj. lib. 1. cap. 26. §. 5.* quæ solennitas, si qua hodiernum remansit jurisjurandi vis, ut in usum reducatur, optandum.

(2) Exemplum harum solennitatum habemus in *Curatore Mulieris Saxonico*. Ne tamen temerarium me aliquis vocet Novatorem, utar verbis Magnifici Dn. *Bergeri*, qui in *Electis Discept. For. ad Ord. Proc. tit. 8. O. l. n. 2.* Nota, inquit, *in clytos Ordines Elect. Sax. in Comitibus, an. 1699. institutis, consilium iniisse, de abolenda penitus cura sexus. Rationes sunt: 1) ut præcidatur materia litis, quæ imprimis quoad competentiam judicis, itemque de numero Curatorum & productione Curatoriorum existere solet. 2) quod ius in locis, ubi jus commune, quod feminis necessitatem habendi Curatorem remittit, servatur, nulla inde difficultas, nullumque periculum emergat, plurimum contra commoditatis afferatur. 3) quod Curator femina nihil sit aliud, quam advocatus Virorum, quum eo nomine mulieri non teneatur. 4) quod judicialis constitutio in Curatore majorem intelligentiam ac fidem non excitet, sed mera sit solennitas. 5) quod mulier ad ratihabenda Curatoris gesta non teneatur, imo eundem, sicuti nolit in negotium mulieris consentire, dimittere iterum, aliumque, ad consentiendum prouorem, sibi adsciscere queat. 6) quod Curatori liceat, proprio jure constituere actorem. 7) quod in mulieribus non omnino deficiat intellectus, imo nonnullæ eadem viris præsent, ut proinde ratio, quæ vulgo petitur a fragilitate & debilitate judicii in sexu sequiori, non sit adequata, præsertim cum aliqui sequeretur, etiam rusticis, qui similiter nostro jure pro simplicibus habentur, constituendos esse Curatores. 8) quod sufficiat, a mulieribus peritiores consuli, atque adeo privata auctoritate constitui advocatos.*

§. 25.

Quando autem modo asseruimus, solennitates quasdam

F 3

legi-

legibus præscriptas, minus rationabiles seu frustraneas esse, non id volumus, ac si subditis, eas vilipendere, iniuriose taxare vel eis contravenire liceret, id enim repugnat conditioni parentium, quibus etiam in rebus indifferentibus, quarum nullam deprehendunt utilitatem, Principis voluntas pro lege est habenda, nisi vel neglectus vel incompetens ac nasuta reprehensionis pœnas dare velint. Sed loquimur saltem de norma morali, juxta quam cuilibet privato ac præcipue iis, qui Jura ac Politica callent, integrum manet, in rationem legis inquirere, & quantum cum prudentiæ ac justitiæ regulis conveniat aut disconveniat, monstrare. (b) Nec æqui ac justii imperantes hoc prohibere solent, ne studia & rationem ipsam plane suppressere velle videantur. Ea enim est intellectus humani vis, ut nulla humana potentia illum ad assentiendum cogere possit: nullumque inde Reipubl. nascitur præjudicium, si subditi in ratiocinationibus suis cum ratiocinatione Principis per omnia consentiant, si diversam opinionem sequantur, sufficit, quod omnia ad nutum Principis ab iis gerantur. Quinimo, si subditi a Principis sententia dissentire plane non liceret, nunquam certe in melius formaretur Respublica, cum tamen oculi plus videant, quam oculus, & interdum quoque olitor sit opportuna locutus. At vero, si v. g. Advocatus vel alius quidam, in foro & ipsa causarum tractatione, justitiam prudentiamve legum sub examina revocare vellet, is coercionem pro qualitate circumstantiarum meretur. *Istiusmodi enim disceptationes ad Cathedram vel Consilia intimiora relegande*

da, non in judiciis proponenda sunt, siquidem hæc ideo instituta, ut juxta leges pronuncietur, non ut jus novum condatur. Veritates etiam loco & tempore incongruo vel iis propositæ, qui suas actiones conformare eisdem nolunt aut nequeunt, omnem perdunt gratiam; & nullum sapientibus jus concessum est, ut invitis doctrinas suas obtrudant: præterea in rebus, jure divino neque præceptis neque prohibitis, quilibet suo sensu abundare quidem poterit, sed, ubi ad tractationem causarum devenimus, subditorum obligatio hoc jubet, ut simpliciter se magis voluntati Imperantis accommodent, quam de legibus ipsis sibi indicandi arbitrium sumant. (c)

(b) Pertinent huc illa Dn. Rechenbergii in diss. de Normalægam justarum ab injustis discernendar. hab. Lips. 1711. aph. 6. Legibus humanis sæpius accidit, ut justitia lænem non æquent, Autores quidem habent Principes & magistratus, favore; Sed non omnis, qui τὸ νόμον habet in Republ. omnem erroris suspicionem auctoritate sua declinat. Sic, quis non rideret Lacedæmoniorum legem, ne mysticem alere liceat? cujus meminit Plutarchus in libro de sera Numin. vindicta. Vigeant enim solennitates in rebus majoris momenti, non in negotiis tralatitiis. Et quis probaret pœnam illam, cujus & Autores & delinquentes merito pudeat, quando in adaitam. LL. Burgundionum r. Tit. 10. statutum extat; Si quis canem veltraum, aut segutium, vel petrunculum præsumserit involare; (i. e. furtim subtrahere) subemus, ut convictus coram omni populo posteriora ipsius osculetur: aut quinque solidos illi, cujus canem involavit, cogatur exsolvere, & multo nomine solidos dnos. vid Henric. Spelmannus in Glossario, verb. Acceptor, ubi etiam notavit, pœnæ hujus commutationem pro levi non esse habendam, tantum enim fuisse Solidi apud Burgundiones æstimationem, ut vacca pro

pro

pro solido; bos pro duobus; caballus optimus pro 10. venderetur. Similiter nemo sapiens institutum illud Romanorum ab utilitate quadam commendabit, ut pupilli infantia majores, licet, quid agant, nondum intelligant, hereditatis aditionem, tutore autore, ipsi faciant, & formulam, hunc in finem conceptam, solenniter recitent. Nam, juxta Ciceronem, nihil tam furiosum est, quam verba sine sensu proferre. Et nonne torvo nos aspicerent vultu juvenes, si quis veterum Germanorum consuetudinem in usum revocare vellet, qui junioribus testibus, cum negotio probando adhiberentur, memoria causa, alapam impingere solebant, ceu ex Lebmanno refert Dn. Titius in jure priv. lib. 2. cap. 13. § 3.

(c) Notum est, vulgum Pragmaticorum Professoribus Juris exceptionem habilitatis movere, quasi ad causas orandas in judicio minus apti sint, idque propterea 1) quia, licet jus in thesi cognitum habeant, attamen, quid in ipsis causarum momentis juxta fori praxin obtineat, plerumque ignorent. 2) quia, dum in cathedra assueti sunt, non raro leges scriptas iniquitatis insimulare, hanc crisin deinceps in foro resuscitare audeant. Nolo hic omnium juris Professorum causam agere, neque enim id a me postulant, neque omnes merentur. Illud tamen monere debui; eos, qui ubique Praxin hujusque differentiam a Theoria tantopere crepant, inter artis proflibula magis, quam lectos, numerandos esse. Nullus enim verus est Practicus, nisi qui Jus facti applicare novit, & nullus est verus Theoreticus, qui non idem ex asse calleat, Proindeque non alia inter Practicum & Theoreticum remanet distinctio, quam quæ a loco & modo desumitur, quod ille in foro, hic in cathedra vel musæo de jure respondeat, ejusque applicationem ostendat. Si quis autem mihi formularum scientiam objiciat, quæ Theoreticis communiter desit; ei repono, hebetis maxime ingenii oportere esse illum, qui non sat modico tempore omnia hæcce mysteria, quantacunque vulgo jactentur, ad unguem haberet cognita

gnita: & si Cicero in Oratione pro L. Muræna dicere potuit; *Si mihi, homini vehementer occupato, stomachum moveris, triduo me Jurisconsultum esse profitebor; cum tamen praxis Romana longe majoribus difficultatibus fuerit implicita, quidni & nunc intra triduum quis Causidicorum artes explorare posset?*

§. 26.

Videndum nunc porro, qualem solennitates producant effectum, nimirum talem, ut actum, cui ex præscripto legis adhibita sunt, ita confirmet, ut, nisi is actus intrinseco vitio laboret, vel modo, juxta communem loquendi formulam, in materialibus ipsis nullus deprehendatur juris defectus, nemo eum, invito altero, qui actum solenniter gessit, irritum facere queat. Actus igitur plane legibus prohibiti ex solennium accessione nullum valorem sortiuntur, v. g. si Pater filium suum rite quidem, id est, cum expressione alicujus causæ habilis, sed injuste, id est, præter meritum, & ubi heres scriptus causam probare nequit, excluderit, non valet ultima Patris voluntas, sed datur querela inofficiosi testamenti. Jus Romanum tamen in iis casibus, ubi actus non ob defectum solennium, sed ob intrinsecam injustitiam saltem impugnatur, hac phrasi utitur, ut eum *summo jure quidem validum, sed rescindendum esse, dicat; e contrario autem, ubi, ob solam formæ externæ omissionem, negotium aliquod, per se jure naturali validum, evertitur, illud ipso jure nullum esse contendat.* Ast hæc commenta, quæ ex speciali ratione Processus fori Romani (d) descendunt, hodie usu destituuntur, cum utroque casu plinius dici possit, *actum illum ex sententia legis non valere,*

G

lere,

lere. vid. Dn. Titium ad Lauterb. obs. 105. v. 4. In hoc unico tamen remansit quædam differentia, quod actiones, quæ ad rescindendum negotium injustum tendunt, breviori termino sæpius præscribuntur. Exempla vide apud Dn. Stryk. *Tr. de actionib. forens. investig. sect. 2. membr. 3. pag. 352.* quamvis nec hoc perpetuo ita se habeat, sicuti patet ex remedio L. 2. *C. de rescind. vendit.* quod ad 30. annos usque competit. Similiter sententia, contra jus in thesi lata, non opus habet appellatione, sed intra 30. annos rescindi potest. Actiones vero, quæ, ob neglectam formam, ad invalidum reddendum seu annullandum negotium competunt, non nisi 30. annorum spatio regulariter extinguuntur. *v. g. si quis querelam nullitatis contra testamentum instituere velit. (e)*

(d) Scilicet Romani olim omnem fere actum justitiam ex solennitatibus metiebantur, quia enim Leges eorum ita generaliter erant conceptæ, *v. g. quicquid coram libripende, adhibitis quinque testibus, per mancipationem, vel per cessionem in jure, vel conceptis verbis per stipulationem gestum est, illud ratum esto:* hinc putabant, etiamsi error, dolus metusve intervenerit, attamen non posse propterea negotium illud everti, obstare quippe legis sanctionem, quæ solenniter gesta tueatur. Sed cum Prætores postea iniquitatem hujus rei deprehenderent, nec tamen, ob deficientem potestatem nomotheticam, verbis directis usitatas leges corrigere auderent, per obliquum id aggressi sunt, & quidem hoc modo: ut quando statim apparebat, actorem modum contrahendi, Legibus præscriptum, minime observasse, ei nec formulam nec judicem Pædaneum darent, eo quod nullitas in sensus incurrat. Si vero in formalibus negotium subsisteret, ast Reus de læ-

lacione injusta conquereretur, formulam quidem actionis concessit Prætor, ne legem tollere videretur, sed Reo simul dabatur excipiendi formula, quali Prætor judici pedaneo dixisset, *tu quidem in hac causa ad legem illam respicias; quam actor pro se allegat, sed lex illa supponit, a negotio gesto lesionem abesse, ergo, si hæc probetur, remove solennitatem nudam a contractu, huncque vigore interpretationis prætorie iterum rescinde.*

- (e) Noli autem nimiam in Regulis hæc ac similibus fiduciam collocare, nam sicuti in universum methodus illa, qua omnia juris Capitula certis brocardicis & axiomatibus generalibus includuntur, & fere ubique illud, *Quoties Toties*, ingeminatur, mihi non placet, ideo quod multa juris capita speciales hypotheses desiderent, & tot sæpe dentur exceptiones, ut ipsa regula tandem non absimilibus videatur cornici Ætopicæ deplumata; Ita in primis in materia Præscriptionis tutius semper est, terminum durationis, singulis actionibus præfinitum, notare, quam regulis generalibus inniti.

§. 27.

Diximus in §. præcedenti, effectum solennitatum consistere in eo, ut actus, jure non improbatum vel prohibiti, ex iis valorem perpetuum nanciscantur, & hoc, intuitu tubditorum, omni dubio caret; facta enim ex legibus, non privatorum arbitriis, mensuram suam capiunt. Sed ratione Principis quæritur, *annon is quosdam actus minus solenniter gestos, & sic de jure nullos, in præjudicium tertii cuiusdam confirmare, & sic validos reddere queat?* Si de potentia Principum absoluta, & quantum vis eorum compulsiva se extendit, hoc intelligas, sibi forte excipies quæstionem, iisque accensebis, quas Icti Domitianas appellare solent. Sed bona verba! quæso, nos loquimur

hic de *Justitia eiusmodi confirmationis*, nullus enim, quem sol adspexit hucusque, Princeps vixit vivitque, qui LL. divinis non teneatur, eisque suas actiones attemperare non debeat. Et his suppositis, *Negative* respondemus, cum Princeps, legem condendo, quæ quosdam actus, non, nisi sub certarum solennitatum præstatione, pro validis habet, hoc ipso *tacite subditis promississe censetur, se, quoties has deficere appareat, actum talem pro iure & obligatione destituto habiturum, nec, ut is in vel extra iudicium efficaciter allegari possit, permitturum esse; sequitur igitur, Principem vim imperii, ratione actuum præteritorum, ad tollendum jus aliis quæsitum, salva justitia extendere non posse.* (f) Ex promisso enim Princeps non minus obligatur, quam quisque privatus. (g) *Ratione futuri* autem Principi licitum est, solennia ista abrogare.

(f) Non obstat, quod Principi competat *Jus dispensandi*, nam hoc exercetur saltem eousque, quatenus publicum interesse remittitur, & applicatur illud actibus futuris, non autem præteritis.

(g) Exinde tamen non sequitur, *contra Principem, promisso non stantem, vel jure vel bello agere licere.* Huic enim tacite renunciatum est, postquam in Imperium alterius consensimus, ubi, nisi injuriæ singulis illatæ Reipublicæ condonentur, actum esset de felicitate eommuni. *Judicia autem contra Principes cessant, quia non habent superiorem.* Aliud igitur dicendum, si pactis sese, certis in casibus, iudiciis submiserint, uti de Germaniæ Statibus res liquida est.

§. 28.

Alia est quæstio, an, si quis cum Principe contra-
erit,

xerit, propter omiffa solennia contractus habeatur pro nullo? Quod recte negatur, licet enim vulgo dicatur, *Principes in contractibus uti iure privatorum*, attamen hoc ipsum de jure divino non humano intelligendum est, ceu satis solide, more suo, ostendit *Dn. Titius in spec. Juris publ. l. 1. c. 1. §. 61. seq. & l. 2. cap. 9.* Ratione Testamentorum autem *idem lib. 4. cap. 9. §. 19.* dissentit, nimirum subditum, Principem heredem instituentem, leges positivas observare teneri, & sic institutionem testamento imperfecto factam non valere; licet enim Princeps leges in futurum mutare possit, attamen, ob legem hactenus non mutatam, jus hæredibus ab intestato lege etiam naturali esse quæsitum, quod adeo invitis non sit eripiendum. Fateor, me magni facere hujus *Viri* doctrinam, nec, quod eum aliquis viventium *JC*torum judicii acumine superet, haud temere credere, attamen in casu proposito ab ejus sententia recedere malo, sequenti ratione ad id permotus; quia *Princeps solennia subditis præscribens, quomodo dominia rerum ab uno ad alium transferri debeant, non id egit, ut etiam, quando actus dominiæ translativus seipsum concernit, ista solennia ad amissum serventur, sed ut actiones civium inter se eis ubique conformentur.* Inde autem probo hanc thesin, quia in dubio nemo, plena libertate & simul imperio gaudens, jura sua, sive jam nata sive nascitura, restringere velle censetur. Jam vero, si testamenta respiciamus, ea nihil aliud sunt, quam modi, ab hominibus inventi & cuilibet jure naturali (*b*) permiffi, quibus jura nobis competentia a tempore mortis nostræ, vel ubi iis

non amplius indigemus, in alium transferimus. *Et juxta simplicitatem naturalem testamenta a donatione condicionali & sub die facta plane in nullo differunt, sicuti etiam, postquam mors fuit insecuta, & heres relictam hereditatem adiit, donatio hæc perficitur, & pro contractu habetur, vide Dn. Titium ad Laut. observ. 893.* Jure autem naturali prout omnes donationes, ita etiam testamenta, valent, modo legibus divinis non repugnent, consuetis actuum humanorum requisitis consent, & ordinaria probatione ostendi possint, ut ipse loquitur *Dn. Titius ad Lauterb. obj. 980. in fine.* Quod si nunc ulterius supponamus, quemadmodum negari nequit, *Subditum, cum Principe contrahentem, illud non facere ut subditum, sed ut privatum, utrumque autem ratione hujus actus sibi invicem æquales censei i. e. non ultra obligatos esse, quam ex præscripto LL. divinarum; Necessario sequitur, Testamentum imperfectum, in quo Princeps scriptus est heres, modo de seria voluntate Testatoris constat, nec iis præjudicium inferatur, quibus defunctus alimenta relinquere debuit, omnino valere. (i)*

(b) *Negavit nuper Illustris Dn. Thomasius in dissert. de Origine successionis Testamentariae, hab. Hal 1705. post introductum dominium, non habere dominos potestatem, res suas relinquendi aliis, hunc in modum, ut bona sua post mortem, nisi voluntas sit revocata, in successores designatos transferantur, hisque ab excessu eorum ex tali declaratione voluntatis jus nascatur. Rationem dat, quia natura domini se non extendat eo, ut hæc potestas transferendi post mortem Domini iniuriam capiat, res enim illas, quarum dominium est introductum, vivis hominibus inservire, ad mortuos autem res humanas nihil amplius*

amplius attingere. Sed, freti æquanimitate *Illustris Viri*, ipsius pace ad defendendam doctrinam communem, omiſſis aliis rationibus, nunc ſaltem regerimus; eſſentiam domini & jus, illud in alios transferendi, non in eo conſiſtere, ut hoc ipſo momento, ubi tertio cuidam, rem quandam ex voluntate noſtra apprehendendi, illaque utendi, fruendi, facultas datur, nobis adhuc competat vel phyſica vel moralis quædam potentia, rei inſiſtendi & de illa pro lubitu diſponendi, ſed ſufficere, ſi potentia moralis, ſeu jure competens, nobis hoc ipſo tempore, ubi aliquid ordinamus, ſit integra: *vel*, magis rotunde loquendo, *in contractibus domini translativis valor eorundem non ex facultate diſponendi phyſica & morali, quæ tempore executionis ex parte noſtra deprehenditur, ſed ex jure, quod tempore diſpoſitionis nobis competiit, dijudicari debet.* Declarabo hoc exemplo. *Mevius* a piratis capitur, & *Tripolin* abductus perpetuæ ſervituti addicitur: forte fortuna ei obviam venit *Cajus*, amicus & conterraneus, cui, dum in patriam abire vult, *Mevius* omnia ſua bona, ibidem ſita, & ad quæ ſe reverti poſſe deſperat, confecta deſuper ſcriptura, valide donat. Eſto nunc, *Mevium* in ſervitute deceſſiſſe, antequam *Cajus* domi reverſus fuit, num propterea donatio *Mevii* dicenda eſſet invalida? Non credo; voluntas enim domini ſemel legitime declarata ſuſſiſtere debet, licet poſtea res ad eum caſum ſit deducta, ut ab eo voluntas illa incipere non poſſit. *Objiceres*, non eſſe hoc contra *Dn. Thomafium*, qui nullatenus de translationibus inter vivos, ſed de eis, quæ fiunt poſt mortem ex voluntate dominorum viventium, loquatur. *Reſp.* *Erroneè ſupponi, quaſi teſtamentum in ſenſu juris naturalis aliud quid ſit, quam translatio juris inter vivos, quippe Teſtatoris mens eſt, ut bona ſua eo momento, ubi ipſe iis non amplius indiget, nec diſpensare illa amplius cupit, ad heredem vel donatarium devolvantur. Effectum igitur iſta voluntas jam tum ſortitur, ſi Teſtator ſeu Donator no-*

viſſimo

viffimo morbo decumbere, vel cum morte luctari & animam agere, vel lenio confectus repuerascere, & in cunis vagire incipit. Quod vero executio juris translati post mortem testatoris suspendi solet, ad *decorum* saltem Gentium pertinet, ne heredes vulturibus peiores videantur, qui cadaver nequidem expectare possint.

(i) Hactenus dicta intelligi volumus de Principis *jure*, non quid *juxta prudentiam & aequitatem* fieri debeat. Cum enim exheredationes vel præteritiones consanguineorum læpissime Testatoris affectus male compositos arguant, & cognati non raro in misera paupertate vivere debeant, si spe hereditatis istius consequendæ excidant, his casibus suasores esse nolumus Principibus, ut hereditatem talem cernant. Quando autem nihilominus eam adeunt, dicendum cum choro apud Euripidem in *Oreste*, *verj. 191. Jure quidem factum, sed non pulchre.*

§. 29.

Restat, ut ostendamus, si circa aliquod negotium duorum Territoriorum leges collidantur, & vel contraria vel diversa solennia sint recepta, utrius loci solennia observari aut postponi debeant? Sed hic otia nobis fecit celeberrimi *Dn. Titii* industria, encomiis nostris major, qui in *jure Privato lib. 1. cap. 10.* omnia, quæ de conflictu Legum dici possunt, juxta indolem principiorum moralium & statum nostrarum Rerum publ. solide exposuit. Quoniam autem ejus dicta ad collisiones legum in genere saltem spectant, & in nonnullis explicatione indigere videntur, hinc illorum summam, pro ratione instituti, nostram facere, & his regulis includere liceat. 1) *Actus, semel juste & solenniter celebratus, ac perfectus juxta leges loci, de rebus isti loco subjectis, vel super facto, ejus executio in loco actus*

actus gesti petitur, ubique valere debet, nec alibi rescindi potest. v.g. Nobilis Slesvicensis tam in Ducatu Slesvicensi quam in Holfatico bona habet sita, & postquam annis 18. major fuit, alteri nobili Holfato prædium quoddam Slesvicense æquo pretio vendit sine decreto judicis, quæritur, num venditor propterea, quod jure Holfatico minor ætas demum 21. anno expiret, coram judicio provinciali Holfatico rescissionem vel cassationem contractus petere possit? *Neg.* Ne unum Judicium videatur imperium sibi arrogare in aliud sibi æquale, dum ea irrita reddere vult, quæ alibi non solum legitimum erant contractus objectum, sed etiam ibidem ad executionem deduci possunt.

2) *Actus in certo loco perfectus eo tempore, ubi agens iure suo id fecit, nec hoc consulto egit, ut alterius loci leges eludantur, postea etiam alibi, ubi vel contrarium statutum, vel plane diversæ solennitates receptæ sunt, ad effectum executionis consequenda vel juris sui prosequendi valere debet.* Ratio est, quia jus semel alteri legitime quæsitum, ex decreto juris naturalis eidem auferri nequit. v.g. Danus quidam Fridericopolinse confert, ibique sectæ Mennonistarum vel Quakerorum se associat, cumque fœmina quadam matrimonium sine hierologia contrahit, quæritur, an hi, qui ex tali matrimonio nati, successione bonorum, in Dania sitorum, frui debeant? *Affirm.* Si enim liberis hominibus, domicilium & religionem mutare, politice licet, sequitur etiam, filiis ex tali connubio non minus omnia liberorum jura competere, quam quæ alibi natis ex matrimonio solenni tribuuntur. Huc eti-

H

am

am pertinent exempla egregia, quæ habet *Dn. Titius* l. c. §. 16. 18. 19. 20. 23. 24. 25. §) *Si actui accedant solennitates, in nostra Republ. vel prohibita, vel pro insufficientibus habita, tunc illud operantur, ut negotium tale, cujus omnis vis, valor ac perfectio ab eo dependet, si legibus nostris conformiter gestum appareat, postea apud nos pro illegitimo & nullo habeatur.* e. g. Si hoc loco lege sancitum esset, ne nudæ conventionalis hypothecæ, licet antiquioris, in concursu creditorum ulla habeatur ratio, sed ei præponantur omnes ceteri, quorum credita coram iudice bonorum sitorum vel domicilii professæ & actis inserta sunt, derer *Forderung dem Schuld-oder Pfand-Protocoll einverleibet worden!* nunc autem, civis Kiloniensis in Ducatu Megapolitano æs alienum contrahit, ibique pro more vel lege istius regionis a Notario, ad consequendum jus hypothecæ publicæ ac judicialis, instrumentum super contractu mutui conficitur, & a debitore testibusque signatur, quæritur, an civis Megapolitanus vigore hujus instrumenti gaudeat prioritare in foro Kiloniensi? *Neg.* Agentium enim arbitrio & legibus loci extranei non potuit norma præscribi foro Kiloniensi, ut, neglecto jure proprio, exterorum instituta, a domesticis plane diversa, in decisionibus causarum sequatur, confer *Dn. Titium* l. c. §. 14. 15. 17. 28. 30. 31. 35. 37. 40. ubi egregie dicit, *leges, utilitati territoriorum attemperatas, per admissionem legum extranearum turbari non debere,* item §. 41. - 47. (k) 4) *Si solennitates propterea saltem inventæ, ut excludatur error & fraus, licet tum illæ non ubique conveniant, attamen actus ce-*
lebra-

lebratus juxta formam loci, ubi agens fuit, etiam alibi vires suas obtinet. Non tamen hoc fuit ex juris necessitate, sed ex mera humanitate, quam gens genti exhibere solet. Ratio hujus comitatus est, quia ex admissione hujusmodi juris nullum præjudicium inferitur nostræ Reipubl. & præsumendum quoque est, quemlibet Imperantem, juxta genium populi, prudenter elegisse media, quibus fraudes ac suppositiones vitari possint; prætereaque hoc ipso consulitur incitiaz propriorum subditorum, qui, cum alibi degunt, forte, quid patriæ leges circa solennia velint, non ita exacte habent cognitum. Hinc v. g. ratione formæ Testamentum, juxta solennitates certi alicujus loci conditum, testatore mortuo, ubique valet. vide Dn. Tit. l. c. §. 38. 39. 48. 5) Si in una Civitate certe solennitates præcise requirantur, in altera eadem quoque usu receptæ vel indifferentes sint, ita ut contraria partium voluntate eis derogari vel omitti possint, (l) neglectus illarum ibi actum reddit nullum, qui tamen in altera civitate adhuc subsistit. Ratio prioris est, quia illa civitas peculiare potuit habere rationes, quare actum sic & non aliter fieri velit, quæ licet aliis non videantur adæquatæ, attamen sufficit, quod Imperans suo jure utatur, nec Reipubl. gubernationem aliorum conceptui attemperare, necessum habeat. Ratio posterioris est, quia uni civitati nullum damnum inde nascitur, si subditi vel advenæ ibi actum gerant, cujus effectum in territorio extraneo expectant. Exempla huc facientia suppeditat Dn. Titius l. c. §. 36. 51. 52. 53. 54. 55. Licet vero plures fortasse possint

H 2

for.

formari regulæ, credimus tamen, rarissime occur-
surum esse casum, qui non ex iis, quas in medium
protulimus, decisionem suam capiat. Confer insuper
*Dr. Hertii, cujus gloria & fama erit æterna, dissertat.
De Collisione Legum, quæ in Tomo I. opusc. ordine est
servata.*

(k) Incidenter hic notabis, quid sentiendum de tali casu:
Aliquis ex dirione Brunsvicensis venit in Holfatiam, ibi-
que cum Holfato contrahit, & quidem, juxta consue-
tam nobis formulam, cum obligatione ad obstagium, ni
contractui fecerit. Postea Brunsvicensis fidem datam de-
serit, & quia in Holfatia neque domicilium, neque bo-
na habet, neque ibi, tanquam in loco contractus, depre-
henditur, Holfatus eum coram foro Brunsvicensi con-
venit, & quidem processu obstagiali. *Qr.* an judex illius
loci eum cogere debeat, ut vi pacti obstagium servet?
Nego. Cum enim extra Holfatiam obstagii pactum, vi-
gore LL. Imperii, nullum & invalidum sit; quæ ratio
judicem moveret, ut illis mediis ad servandas contra-
ctus leges aliquem compellat, quæ expressa sanctione
sua Civitatis reprobata sunt? Quippe pacta privatorum
tantam vim habere nequeunt, ut modum executionis semel eli-
minatum postliminio reducant; alias & illud absurdum se-
queretur, quod, si alicubi moris sit, debitorem moro-
sum, vi pacti, in judicio virgis castigari, extranei judices
similem carnificinam in foro admittere, & virgas expe-
dire debeant. Qui aliter ratiocinantur, infantiam in
studio juris prædunt.

(l) Non tamen statim inferre licet, *Lex ista solum disponit &*
quomodo actus celebretur, & nullam addit sanctionem poenae-
lem, ut, si secus fiat, actus reddatur nullus; Ergo solennia,
quorum *lex* meminit, sunt usus indifferentia, & vel omitti vel
per *aquipollentia* expediiri possunt. Hujusmodi enim argu-
mentationes, nisi consuetudo legalis aliud velit, Rabu-
las

las non veros Jctos decent, utpote qui bene norunt, Leges non propterea scribi, ut nuda sint consilia, vel systemata artis Notariatus, (*modo artis nomine misera ars sit digna*) sed ut sint regulæ, quibus subditi actiones suas conformare debent. Et quia Legislator semper cum effectu aliquid velle censetur, hinc sequitur, legi, de solennibus disponenti, tacite inesse hanc clausulam, ut non aliter valeat actus, quam modo præscripto. Familiare quoque est multis legibus, præsertim antiquioribus, ut saltem dicant, quomodo aliquid legitime fiat, pœnæ autem nullam mentionem injiciant. Hoc ipsum, una cum aliis circumstantiis verborum ac rituum, in Jurisprudencia veteri occurrentium, nobis ansam dedit meditandi super edenda olim dissertatione, *de Civilitate legum*, ubi etiam inquirendum erit, *an sanctio poenalis sit de essentia legis?* quod nuper affirmari cœpit; an bene vel male, tunc videbimus.

§. 30.

Coronidis loco adjicimus quæstionem: *An quis actui, quem leges civiles propter non adhibita solennia nullum declarant, possit salva conscientia contravenire, si appareat, 1. veritas negotii gesti, & 2. dolum ac læsionem ex parte alterius, minus solenniter agentis, abfuisse?* Non esse de nihilo illam quæstionem, omnes fatebuntur, qui maculam Juris arti aspersam, de qua initio hujus dissertationis conquesti sumus, quasi æquitatis, ne dicam Christianismi, regulæ traditis civilis scientiæ sæpius adversentur, expurgari cupiunt. Si enim Jus Civile voluntati divinæ contrariatur, proh! Deum, quis artem profitebitur, quæ in hac vita, fluxa illa & caduca, cujusque dimidium jam longe transit, quando negotiis admovemur, lucrosa quidem

H 3

inter-

interdum , sed in futura damnosa erit. Non vero est, quod nobis metuamus, multo minus ad vagas excusationes confugere necesse erit, acsi viris Politicis & JCtis plura licerent, quam Theologis, hoc enim concedimus saltem in nonnullis rebus ad decorum pertinentibus; Leges autem iusti & honesti, quemadmodum omnibus hominibus, sine ulla personarum differentia, a Summo Numine sunt datæ, ita in rebus eo spectantibus, JCtorum conscientia nec latior nec angustior esse debet, quam Theologorum & ceterorum hominum, quibus singulis certa officia incumbunt, quorum nomine postmodum coram communi & tremendo illo iudicio Dei rationem reddere debent; & quod vulgo putetur, Sacerdotibus maximum conscientia onus impositum esse, ne nunc aliud quid regeramus (*m*), dicimus, esse propositionem minus universaliter veram. Quid si enim Parochus quidam viginti vel pauciores habeat familias, suæ curæ commissas, Judex autem vel Administer Status toti præsit regioni? Sed hæc *ὡς ἐν παράδοξο*, & de JCtorum conscientia illud saltem notamus, quod cum ea similiter comparatum sit, prouti Clemens VIII. Pontifex R. de Prospero Farinacio, JCto Romano, ejusque scriptis dicebat, *Farina ista bona est; vel polvis potius; sed non saccus, cui ille includitur, bonus est, sed fædus ac turpis.* vid. Jani Nicii Erythræi *Pinacothec.* 1. pag. 239. edit. Lips. (*n*) Respondebimus vero ad quæstionem affirmative, supponendo tamen, modo dolus ex parte nostra abfuerit, & modo singulares quædam circumstantiæ contrarium non suadeant; & distinguendo simul

simul inter conscientiam Judicis, ac conscientiam Partium horumque Advocatorum; quippe *judicia* tenore legum civilium ne tantillum quidem desistere licet, sed *partes* sapius considerare deberent, ob peculiare causas, ipsis satis notas, leges civiles vim suam perdere, & divinas, utpote quæ normam longe perfectiorem exhibent, eis non raro præferendas esse. Quibus præmissis, affirmationis nostræ sequentes dāmus rationes 1) quod conscientia nihil aliud sit, quam iudicium de convenientia actionis cum lege, vide *Dn. Titii jus priv. l. 1. c. 12. §. 2. seqq.* Sicuti autem, quid quantumve aliquis de bonis fortunæ, si alimenta necessaria excipias, habere debeat, lex divina universalis non determinavit, ita dominorum introductio non minus quam modi acquirendi ad instituta humana referri debent, & dignum sunt argumentum vel objectum potestatis legislativiæ humanæ. Ex quo rursus colligimus, 2) causas, contractus, testamenta & quemlibet acquirendi modum concernentes, primario & principaliter ex legibus positivis humanis, in subsidium vero saltem ex legibus divinis dijudicandas esse. Et, si hoc est verum, ulterius concludimus, 3) illos, qui non amplius in statu naturali vivunt, ineptissime omnes obligationes suas ex præscripto LL. naturalium metiri, cum potius scire debeant, quod in rebus & facultatibus, quæ sunt juris divini permisivæ, post conditas civitates, plus valeat dispositio civilis, quam rationis dictamen. Si quidem 4) omnes leges, quarum observantia Deum non offendit, prouti sunt illæ, quæ de rebus indifferenti-

rentibus ab Imperante promulgantur, pro rationalibus merito habentur, & eo ipso, quod necessitate quadam civili & publica utilitate nitantur, non solum vim externam continent, cogendi subditos ad parendum, sed etiam conscientias eorum obligant. *Rom. 13. v. 2. 5. (o) Si vero 5)* norma actionum civilium, *stricte* sic dictorum, sola est lex civilis, sequitur, agentium voluntatem per se vim obstringendi conscientiam non habere, sed, prouti lex civilis vel intendit, vel remittit obligationem naturalem, ita quoque jus conscientia variare. Nec 6) alteri, minus solenniter agenti, hoc ipso infertur injuria; dum enim scivit vel scire debuit, tales actus inutiles & inefficaces reddi, damnatum, quod proprio vitio negligentiaque sentit, sibi ipsi imputet. Accedit alia ratio, nimirum 7) si contraria sententia admitteretur, omnem pene doctrinam civilem stragem esse passuram, utpote qua a naturali simplicitate in multis recedit, v.g. quod mulier, vi hypothecae, praeratur antiquioribus mariti creditoribus, & contra fidejussionem S^cto Vellejano utatur; quod minores restituantur in integrum: quod heres detrahat quartam Falcidiam, fiduciaris Trebellianicam; quod res certo temporis spatio usucapi possint &c. Et hac ratione totus imperandi parendique ordo subvertetur. Imo, nulla fere lex reperitur, qua non interdum durior adversus singulos videatur, propterea tamen ab illa non statim recedendum, sed merito valet potius illud Taciti 14. *Annal. cap. 44. omne magnum exemplum habet aliquid ex iniquo, quod contra singulos utilitate publica rependitur.* Solent quidem illi, qui

in Conscientiæ casibus conscribendis oleum & operam perdunt, *obicere*, (p) Solennitates idcirco ordinari solum in LL. civilibus, ut obviam eatur fraudibus & dolis, qui in contractibus aliisve actibus privatorum plerumque committuntur; ideo, quando de voluntate eorum, qui hujusmodi contractus fecerunt, satis constat, etiamsi solennitates sint prætermittæ, vim juris civilis cessare debere, propter regulam, quod *cessante causa cesset effectus*. Verum cum his Doctoribus sapientiæ scholasticæ facile transiges, si tela illorum simili scuto excipias, *limitando* scilicet prædictum canonem metaphysicum, ut tum demum valeat, *si legis ratio cesset in universonum, non si in particularibus*, vel reclama, *cujus finis bonus est, id ipsum quoque bonum esse censetur, si non actu, saltem potentia*: aut, si placet, distingue inter *causam finalem solitariam & sociam, universalem & particularem*, item, inter *finem internum & externum, formam essentialem & assistentem* & quæ sunt similia illorum bel-laria. Prudentioribus autem responde, *in praxi vim legum civilium non dependere ex ratione, quæ Legislatorem commoverit, ut hoc & non alio modo disposuerit, sed ex nuda eiusdem voluntate*, quæ subditis, juxta indolem imperii, pro ratione sufficere potest & debet. Et nisi hoc asseramus, brevi fiet, ut pro jure certo ubique regnet jus cerebrinum, quod Rerum-publicarum pestis non immerito audit. Nota enim est infirmitas humani intellectus, dum quisque imprudentior, juxta quadrantalibus sui judicii habitum si-

bi jus & conscientiam effingit, Polypo mutabiliorē, & hydræ lerneæ haud absimilem, ubi mox unum conscientia caput rescinditur, mox plura res ullulascunt. Præstat igitur hic illud sequi, quod vulgo dicitur, *Lex quidem dura, sed tamen ita scripta.*

- (m) Scilicet omnem de conscientia doctrinam theoreticè quidem bene se habere, sed practice ferme inanem esse, dicit Titius in *jure priv.* l. 1. c. 12. §. 17. ibi: *O bona Conscientia plerumque non tua quidem culpa, sed hominum improbitate vomez inane es, ac exigua est, quam generi humano præstas, utilitas! & porro §. 19. Sicut conscientia reprimendis delictis saepe est inidonea, ita eam insuper imperitia improbitasque humana, non raro, in rem generi humano perniciosam detorquet. Quancas turbas saepe non excitat fanaticæ imperiti Sacerdotis conscientia? Sed strages magis funestas edere solet eorum malitia, qui horridum animi turbulenti impetum Conscientia nomine obvolvunt, ac sanguinolenta decreta, per crudeles aut superstitiosos Imperantes exequuntur.*
- (n) Faciunt huc ea, quæ habet B. Lutherus in *Commentar. in Deuteron. cap. 1.* *Qui judicis & gladii officium exercere debet, eum oportet esse victorem omnium affectuum, timoris, amoris, favoris, misericordie, avaritiæ, spei, famæ, vitæ & mortis, & amatorem simplicissimum simplicissimæ veritatis & justis judicis, quia judicium Domini est. -- Vide exempla in Juristis optimis, qui æquitatem, dum vel publice docent, aut scribunt, pulcherrime tradunt: At in consiliis privatim dandis plane aliter sentiunt, & sibi dissimiles sunt, scilicet quod hic persone respectus vel misericordia calamitatis (ut optime interpretemur) eos despectit a recto, ut velut mederi & succurrere inopi studeant, quod non fecerunt, cum publice docerent, & hic præ affectu non vident, se ab æquitate in publico docta despectere. Tam difficilis, raris & ardua res est oculus simplex & justus in judice.*

(o, Nc

(o) Nolumus autem hoc ita interpretari, ac si is, qui actum aliquem ob defectum solennitatum impugnare potest, absolute etiam id facere teneatur. Talem enim obedientiam in hoc casu leges civiles non exigunt, sed iudici saltem regulam præscribunt, ut in casibus propositis secundum eas & non aliter pronunciet. Qui rideantur itaque digni sunt *Bartolus & Jason*, existimantes, eum, cui testamento non solenni aliquid relictum est, si non possideat, posse clam & furtive, prætextu conscientie, surripere, quod legibus iudicioque avocare prohibetur, *ex ratione*, quia scilicet jus Naturæ, quod præstantius est civili, ab hoc opprimi & impediri non debet: ceu ex *Covarruvia* refert *Huberus digresse lib. 4. cap. 37. §. 1.*

(p) Movet hanc objectionem inter alia argumenta *Guilielm. Amelii de conscientia & ejus jure vel casibus lib. 5. cap. 41.* ubi quæstionem, *An Dominium verum, quoad forum conscientie, fundari possit in solo jure civili, aut in solo jure divino; an in utroque?* sequentem in modum decidit 1.) *Conscientiam in omnibus respicere debere iudicium Dei. Nisi igitur jure a Deo vel in natura, vel in verbo publicato, constet, domini titulum esse legitimum & verum, in foro conscientie cum consistere non posse.* Respond. Jus naturæ non introducit dominium rerum, sed ejus introductionem saltem approbat, modos etiam acquirendi vel transferendi dominia in Civitatibus relinquit Imperantium arbitrio. Scriptura Sacra autem, ob nobiliorem, quem intendit, finem, non tam præscribit leges politicas, sed potius illas, quæ in singulis Rebuspubl. præscriptæ sunt, ut omnia in hac vita tranquille & ordine agantur, confirmat. 2.) *Justitiam tituli ex eo, quod in iudicio Dei obtinet, æstimandam esse, hincque titulum non subjici foro humanæ.* Resp. concedimus,

cere posse, ut negotium dolo, errore efficaci vel me-
 tu gestum, in foro divino ratum habeatur; sed hoc
 loco quaeritur saltem de forma actuum externa, quam
 certis ritibus lex humana circumscribere propterea po-
 test, quia LL. divinae de ea nihil disposuerunt. Porro,
 quemadmodum dominium ipsum est instituti humani,
 non divini praecipivi, ita titulum ejus ex eodem jure
 derivari par est. 3.) *Sententiam judicis, contractum mi-
 nus solemniter celebratum irritum facientem, fundari sepe in
 falsa praesumptione, ac si fraus esset commissa, quam tamen ab-
 fuisse alteri parti satis constat.* Resp. Exceptio illegitime
 celebrati contractus, & quae subsequitur sententia judi-
 cis annullatoria, non tam innititur praesumptioni fraudu-
 lenter gesti negotii, quam dispositioni legis, solennia
 praescribentis, quae si negligantur, nec etiam vincu-
 lum juris adesse censetur. 4.) *Per hujusmodi contractus
 minus solennes, ex omnium consensu, induci obligationem ju-
 ris naturalis: quia fiunt per liberam voluntatem, ex consilio de-
 liberato. Sed jus civile non posse abrogare jus naturae.* Ergo.
 Resp. mutato statu naturali, mutantur etiam jura & obli-
 gationes naturales, praesertim illae, quae non sunt abso-
 lutae, sed hypotheticae. 5.) *Intentionem ipsam juris civilis
 esse, in istiusmodi contractibus irritandis, tantummodo non ad-
 juvare ipsos in foro externo, vel non dare ipsis actionem, pro-
 pter commune bonum. Relinquere igitur jus civile obligatio-
 nem omnem ex jure naturali conjungentem.* Resp. Conmit-
 titur petitio principii, an in statu hominum civili re-
 maneat obligatio naturalis, quae tamen LL. positi-
 tivis reprobatur, vel invalida declaratur, hoc enim
 negamus, quia civitates etiam propterea conditae,
 ne singuli suo arbitrio agant, sed juxta normam praescrip-
 tam. Non aliter igitur ad naturalem obligationem
 recte provocatur, quam si, dissoluta civitate, homines
 ad statum naturalem revertantur. Quod autem cives
 minus

minus solemniter promissa adimplere possunt, illud nul-
 larenus ex remanentis obligationis naturalis, sed ex li-
 bertatis idea fuit, quam non omnem tollere leges ci-
 viles voluerunt. 6) *Jus ipsum civile in quibusdam casibus, ut*
testamento militari, &c. admittere hanc obligationem natura-
lem, solemnitatibus illis destitutam, & sic agnoscere illam per
se valere in conscientia foro. Resp. A particulari ad univer-
sale non valet consequentia, nam, quod in aliquibus
causis jus & obligatio naturalis plenum retinuit valo-
rem, propterea male infertur, illam obligationem
quoque in omnibus ceteris negotiis manere salvam. Fac
etiam, Principem quendam testamenta militum subji-
cere LL. civilibus ordinariis, hoc casu solennium de-
fectus id operatur, ut nequidem jure naturali illa am-
plius subsistere queant. Sed hæc contra Amesium suffi-
cient. Illud saltem notatu dignum insuper putavimus,
prætensam illam LL. civilium ac divinarum collisionem
Clero Pontificio anam olim dedisse, singulare quod-
dam Conscientiæ forum erigendi, coram quo causæ, in
Foro Civili jam tum decisæ, ope Denuciationis, ut vo-
cant, Evangelicæ, novo examini subjici, ac, pro lubitu
Cleri, sententiæ judicium secularium vel confirmari vel
rescindi iterum possint. De cujus instituti moralitate
vide Dn. Titium in der Probe des deutschen geistl. Rechts
lib. 1. cap. 6. §. 50-78. & in jure priv. lib. 9. cap. 3. §. 17.
18. 19.

§. 31

Et sic finem imponimus disquisitioni solennita-
 tum generali. Propositum quidem initio nobis erat,
 ad specialia simul descendere, & hunc in finem haud
 vulgaria erant collecta; cum tamen solennitates per
 omnia juris capita se diffundant, & si ex antiquitatibus

historicis simul illustrandæ sint, multum temporis, laboris ac chartæ requiratur, nec, quasi canes ex Nilibentes, in campo juris saltare magis, quam iustis passibus progredi velimus: propterea specialiore tractatione disputationibus aliis, vel integræ commentationi reservamus. In his autem, quæ jam dicta sunt, æquum censorem exspectamus, cum materia solennitatum a JCTis hætenus ferme pro derelicta sit habita, nos vero, propter concatenatos labores, singulis discutendis pares esse non potuerimus, hincque vel primas hic lineas duxisse, si non laudandum, saltem non invidendum, multo minus vituperandum futurum sit. Magis culta ac polita, auspice Deo & fortuna favente, futura dabit ætas; interea autem Prologum Terentii nostrum facimus Epilogum.

Favete, adeste æquo animo, & rem cognoscite,
 Ut pernoscat, ecquid spei sit reliquum,
 Posthac, quas faciet de integro comœdias,
 Spectandæ, an exigendæ sint vobis prius.

S. D. L. & G.



COROLLARIA.

1. Fidejussor, sub obstagio se obligans, deinde Creditori, si hic eum ad obstagium servandum, vi constitutionis Haderslebienensis de an. 1604., evocare velit, exceptionem ordinis seu excussionis opponere non potest, sed, facta recognitione manus, statim vel satisfacere Creditori, vel ad locum assignatum se conferre, nec obstagii jura violare debet. Qui aliter sentiunt, illi inter jura Patria ac Romana fluctuant, nec certis principiis nituntur.

2. Omnis pœna corporis afflictiva ab Imperante, ob causas rationabiles, potest converti in multam quandam, & sic nihil impedit, quominus etiam in Criminalibus possint admitti Fidejussores, tam de judicio sisti, quam de judicio solvendo, idque in nostris Ducatibus cum clausula obstagii.

3. Hominem vere furiosum ob debita, ante furorem contracta, obstagio includere velle, non nisi mera foret Creditorum insania

4. Pacta sive sub obstagio, sive simpliciter ab ebrioso inita, modo dolus & læsio enormis absit, servanda sunt, nec opus est, ut alter prius curatorem ebrioso constitui petat.

5. Optime corporis animique conjunctio inter Conjuges potest consistere, licet bona eorum non fiant perfecte communia, sed maneant diversa: Imò caveant sibi prudentes LLatores, ne novis rerum moralium doctoribus, qui inter conjuges omne *meum & tuum* cessare debere dicunt, aures præbeant, & juxta eorum consilia, quæ ut plurimum novam mundi creationem supponunt, Rempublicam semper corrigant.

6. Sponsa sponsum processu obstagiali convenire potest, nec propterea, matrimonio postea secuto, illa sua amittit

jura

jura ac privilegia, quam pœnam alias constitutio Rends-
burgensis de an. 1630. §. 14. uxoribus hoc casu dictavit.

7. Quando Tabor in *diatribe de Obstagio* c. 8. §. 11. 12. & cum eo Fuchsius in *Introd. ad prax. Hofl.* l. 1. c. 12. §. 6. asserunt, quod in Constitutione Rendsburgensi præallegata per verba, so lieb ihr ist/ den Verlust ihrer Fräulichen Gerechtigt-
keit zu vermeiden/ intelligatur jus retentionis ac prælationis, tunc nihil errarunt; saltem addere potuissent, uxores Nobi-
les, quæ viros suos ad obstagium adigere tentant, amittere quoque privilegia, sub nomine des *Hudenbands*/de quo vide *Hollst. F. G. D. part. 4. tit. 5.* ipsi in specie concessa.

8. Neque decoro Ethnicorum neque decoro Christianorum adversatur, ut quis morosum debitorem, sibi consanguinitate proxime junctum, ad obstagium, pacto promissum, evocet.

9. Non lædit reverentiam Vasallus, homo proprius vel fili-
lius, si contra Dominum aut Patrem processum obstagialera instituit.

10. Philosophi, ex mente veterum Ictorum mercenariam operam spernere, nec pecuniarias rationes inquirere debent. Sed magis se comendat Philosophia *Seneca*, qui, quantus etiã fuerit Stoicus, attamen intra triennium ter millies, h. e. centies vices quinquies centena millia florenorum coacervasse dicitur. *vide Huber. digress. part. 1. lib. 3. c. 23. §. 3.*

11. Doctores juris, qui nihil aliud sapiunt quam Pandectas, juxta etymologiam *Accursii*, possident πῶν δέκτην, i. e. mendicitatem seu prudentiæ paupertatem meram, δέκτης enim, vocatur mendicus a δέξομαι *accipio*, quod undique aliquid accipiat.

12. Circumforaneum & Circulatoreum si quis in sensu juris Romani appellet medicum practicum, nullam ipsi infert injuriam, maxime enim ab his distant agyrtae & nundinatores medicamentorum. *Vide Huber. l. c. S. 2.*





ULB Halle
003 742 709

3



TA → OL ^f
nur 1+21 Stück redempt





centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Franc. Ernest. Vogt. naturae

DISSERTATIO JURIDICA
DE

SOLENNITATI-
BUS IN GENERE,
EARUM NATURA, JURE, USU
ET ABUSU;

250
1712

12
21

QVAM,
ANNUENTE
AMPLISSIMO ICTORUM ORDINE,
IN ILLUSTRIS UNIVERSITATE CHRISTIAN-ALBERTINA
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTUNT
P R A E S E S

FRANC. ERNEST. VOGT,
SCHAUMBURGO - WESTPHALUS,

ET
RESPONDENS
CHRISTIANUS AUGUSTUS
DE BERCKENTHIN,

EQUES MEGAPOLITANUS,
AD DIEM JUNII, AN M DCC XII.
IN AUDITORIO ICTORUM,
HORA IX. ET SEQUENTIBUS MATUTINIS.

KILONII,
LITERIS BARTHOLDI REUTHERI,
ACAD. TYPOGR.

